DE

PLAUTINIS ET TERENTIANIS

ADOLESCENTIBUS AMATORIBUS

PARIS. — IMPRIMERIE E. MARTINET, RUE MIGNON, 2.

DE

PLAUTINIS ET TERENTIANIS

ADOLESCENTIBUS AMATORIBUS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

E. BERTIN

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

PARISIIS

G. PEDONE-LAURIEL, BIBLIOPOLA

13, VIA DICTA SOUFFLOT, 13

1879

DE

PLAUTINIS ET TERENTIANIS

ADOLESCENTIBUS AMATORIBUS

PROŒMIUM

Quum Plautum et Terentium in universum comparare gravius opus esse videatur, mihi consilium est hos poetas tantum partim attingere, et e variis personis ab utroque in scenam inductis adolescentes amantes eximere quos inter se conferam. Qui quidem non indignam, quæ tractetur, materiem præbent. Adolescentes enim, dum fervent amore, dum optato potiuntur aut fraudantur, præcipuas partes in multis fabulis agunt; quippe quorum cupiditates meretrices foveant, servi adjuvent, patres, saltem qui sapiunt, impugnent, ita ut recte existimes ambos poetas non mediocrem ingenii et operæ partem in eos effingendos impendisse. Amatores igitur primum inspiciam quid apud Plautum sentiant, loquantur, agant, quid apud Terentium; deinde iis, quibus inter se differant, jam exploratis, unde fiant ea discrimina pro meis viribus explanare aggrediar.

I

Plautinas fabulas evolventi occurrit adolescentium globus turbido amore laborantium, voluptatis misere appetentium, et omni ope nitentium ut ea quam maxima fruantur. Quibus si forte contingit ut in limine leoniæ domus consistant, ne famæ cura eos cohiberi putes; inopia, non pudore, prohibentur quin ultra transeant, et lenonem magis quam suam conscientiam reformidant. Ære autem deficiente, sæpius amatorum tota perit cum pudicitia dignitas, dum nullam culpam, nullum dedecus recusant, ut voluptatem vetitam arripiant.

Multos quidem audire est uberiorem sapientiam in sermonibus suis exhibentes, sed eam verbosam et inertem quæ non e labris ad facta transeat, quæque odiosa sit cum pravis moribus conjuncta. Sunt etiam in quibus non semper libidinis impetum animadvertas, sed interdum melioris amoris venustatem deprehendas; ea vero venustas quam cito jocis vel protervis vel ineptis corrumpitur, et ad solitam lasciviam deprimitur! Illum autem, non indecoros amores foventem, nec obscena, nec stulta unquam effundentem, suos affectus fervido simul et pudico sermone efferentem, atque etiam in culpa aliquid ingenui et verecundi retinentem, illum, inquam, apud Plautum non plus quam semel reperis.

Stratippocles in *Epidico* infidus est amator, malus filius, ignavus miles. Quum e bello revertitur præda ma-

gis quam laude auctus (quippe cujus arma ad hostes transvolaverint), se corpore quidem valentem ab animo ægrotare queritur. Quot animos ille habeat Thesprionem armigerum servus Epidicus rogat (1), nec immerito. Stratippocles enim militatum abiturus Epidicum jusserat fidicinam sibi caram emere; levitas autem herilis servilem diligentiam inanem effecit, et statim fastidita vix empta delusi patris auro fidicina, jam captivam deperibat

Usque ab unguiculo ad capillum summum festivissumam (2).

Nec equidem valde miror moderatum animum, quo velut insolito gloriatur:

At pudicitiæ ejus numquam nec vim, nec vitium adtuli (3).

Non poterat poeta non ei verecundos amores ad breve tempus imponere mox in captiva sororem agnituro, et jam nimia audere videtur quum fratrem inducit sororis vel ignotæ lepores verbis ita vividis prædicantem. Ceterum habet domi quod amet, opera Epidici, Stratippocles, atque ad fidicinam eadem levitate redit qua nuper eam deseruerat, priscis et liberioribus amoribus amores recentes et jejunos solaturus.

Dies una bene moratum et pæne feri ingenii ado-

(1) *Epidicus*, I, 1. — Parei editionem (1619) secutus sum, quæ vel in textu, vel in notis criticis Veteris Codicis scripturam exhibet, nec prætermisi fabulas haud ita pridem editas inspicere, eas præsertim quas Ritschl ex Ambrosiano codice recensuit. De Plautinis codicibus vide Ritschl, T. Macci Plauti *Trinummus, Prolegomenon*. Elberfeldæ, 1849.

(2) *Epidic.*, V, 1.

(3) *Epidic.*, I, 2.

lescentem, vi cupiditatum subito effervescentium, in ganeonem mutat. Pistoclerus in *Bacchidibus* meretriciam domum intravit, Mnesilochi sodalis amores curaturus, non suos : hanc moribus castis ingressus, corruptis linquit. Nullus tamen in meretricum moribus prænoscendis acutior, describendis vividior, vituperandis asperior. Quanta turpitudine palæstram illam notat « ubi damnis desudascitur (1) ! » Quanta irrisione virum depingit in luxuriosos transcriptum, Martis arma Venerio apparatu mutantem ! Optimæ quidem sapientiæ præcepta in auxilium pudoris obsessi vocat; hoc autem unum omittit, scilicet voluptatem tantum fuga vinci posse. Itaque, dum censorio munere fungitur et Bacchidum blanditias proprio nomine « viscum merum » vocat, se visco inhærescere sentit et cogitur exclamare :

Perii ! Harundo alas verberat.

Mox hujus asperi adolescentis virtus, muliebribus illecebris enervata, et jam desperata, se omnino fractam non sine pudore confitetur :

Sumne autem nihili qui nequeam ingenio moderari meo (2) !

Tum quanta fit et quam subita mutatio ! Quo impetu, frenis vix remotis, in omne flagitium ruit ! Male sibi

(1) Quum idem verbum *damnum* Plautus in versu proximo usurpet :

« Ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus »

Bothe (*Pl.*, Berol., 1809-1811) potius quam poetam negligentia peccavisse credat, rectam lectionem esse *dominis* in priore versu conjicit : Ritschl ei assentitur aut *damnis*, aut *damnum* corruptum esse.

(2) *Bacchides*, I, 1.

consuluit custos Lydus eum apud Bacchides cœnaturum et totum Veneris ludos ac jocos spirantem inhibere conatus, atque suo detrimento sensit in alienam scholam e sua migravisse. Discipulus animo hilaris, lingua solutus, facetias et argutias effundit, pædagogi barbaram inscitiam, ipse nova disciplina superbiens, increpat et fastidit, nec prisca verborum gravitate, quam a Lydo didicit, nisi per jocum utitur. Magistro roganti num ad amatorium convivium obsonatum ferat, magnifice respondet :

> Sperat quidem animus ; quo eveniat, dis in manust (1).

Nec verbis lepidis ita ludit ut minis abstineat : vetere fabula memorata, suo pædagogo Lini partes, sibi Herculis attribuit, vere « plenus sanguinis », ut Lydi verbo utar, et « vacivo virium » formidandus. Tacere, ut qui reipsa servus sit, et herum in flagitii stabulum sequi jussus, plura Lydus vidit quam pædagogum decebat : nos prudentia majore usi non januam hanc Orci pulsabimus, quo nemo advenit,

> Nisi quem spes reliquere omnes esse ut frugi possiet (2).

Quum locus, tum adolescentis ingenium satis nos monent omnem in apparato convivio pudorem periturum esse.

Dinarchus in *Truculento* veteribus vitiis laborat qui-

(1) *Bacch.*, I, 2.
(2) *Bacch.*, III, 1.

bus non tantum inquinatus, sed infectus esse videtur. Postquam ab amata meretrice nudus et infamis extra fores ejectus fuit, domum damnosam, ut primum aliquid collegit, rursus obsidet, et Phronesium vehementer rogat ut ipsum omnino velit expilare. Hunc profecto credas libidine occæcatum esse, nisi audias de meretriciis dolis uberius disserentem, atque spectantes docentem ut amans in retia sensim inducatur, iis implicitus retineatur, et, sive superbiente amica, sive arridente, nunc animo, nunc re pereat. Meretricem intra cutem novit, mendacii et damni plenam, causas fingentem ac serentem ut aurum amatori extorqueat, et priusquam hic unum dederit, centum, quæ poscat, parantem. Nec minus acriter in amatoribus stultitiam exprobrat, tanquam si rectum judicium ipse nunquam amiserit, aut amissum tandem receperit; ita vero dissimiles ab oratione mores exhibet, ut non eumdem loqui et agere credas, et pæne ei inclames ut aut minus in loquendo sapiat, aut minus in agendo desipiat. Adde quod Astaphium ancilla, etiam si quam dubitationem de veris Phronesii sensibus Dinarchus retinere vellet, ipsa omnino tolleret aperta sermonis protervitate : eum enim sine ullis opibus advenientem fastidit, meras querimonias ad amicam afferentem mortuis annumerat, nec posse nisi divitem ab hera amari etiam atque etiam profitetur, jamque dicta factis comprobans, Dinarchum, statim ut fundos et ædes sibi superesse contendit, verbis amaris subito melle imbutis, blande alloquitur, unice diligi dictitat, et domum nuper clausam ingrediatur vehementer rogat.

Euge! Funde et ædes,
Per tempus subvenistis (1),

amator exclamat, causa mutationis facilius percepta, nec tamen blanditias respuit quas rei suæ, non sibi, dari pro manifesto habet, nec indignatur simul audiens a Phronesio se unice amari, eamque e milite Babyloniensi nuper enixam fuisse; imo, quum amicam ita sui prodigam videt incedentem, non potest quin suavissimis verbis eam excipiat:

Ver vide!
Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet!

Quam modo propter mores fœdos vulturi prædam olfacienti comparabat, nunc « ver merum » salutat, et in corpore formoso turpem animum latere vel parum meminit, vel parum curat.

Ejus prima fastidia leviter castigans, oscula, dum licet, fortunatior Jove, quam plurima sumit, et mercedem, osculis vix sumptis, statim expostulatam alacri mente promittit. Amicæ confitentis se falso peperisse et puerum diripiendi Babyloniensis militis causa supposuisse sermonem ita apertum magni erga se amoris certissimum habet (2), et jam mutuum amorem maximis muneribus mittendis reddere gestit. Cur non potius miratur et meditatur etiam apertius Phronesii responsum quo suam avaritiam totam patefacit:

(1) *Truculentus*, I, 2.
(2) Ostendit sese jam mihi medullitus
Se mihi infidelem numquam, se viva, fore.

DINARCHUS. — Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quippiam me poscis.
PHRONESIUM. — At ego, ubi abstuli (1).

Munera statim missa, nempe quinque minæ et obsonium, facile admittuntur, excluditur vero amator superveniens; alius enim rusticior quidem, sed propter viginti minas patri surreptas Phronesio acceptior, Dinarchum amica simul et obsonio frustratur. Utrum raptam amicam an obsonium magis doleat, ipse Dinarchus in incerto relinquit, tanta vehementia exclamat:

Illine ut inimici mei
Bona istic edant! mortuum hercle me, quam ut id patiar, mavelim (2)!

Amicæ vel infidæ forsan ignosceret, si tam opimi convivii particeps saltem esset; hoc autem negatum ita ejus iram exacuit, ut consilium sua prava natura bene dignum suscipiat, nempe Phronesium ut pueri suppostricem magistratibus deferendi. At rabies, qua agitur, subito defervescit et in magnum timorem vertitur, adspecto sene Callicle, cujus filiam, sibi prius desponsam, ebrius stupravit, stupratamque et gravidam deseruit, ut ad indignam meretricem suos amores transferret. Nullum enim flagitium est cujus non sibi conscius sit iste luxuriosus adolescens, atque etiam turpiorem intemperantiam nuper Astaphio ancillæ sine fuco confessus fuerat (3). Quum tandem vis ingenuæ virgini illatæ reus deprehenditur, solo timore impulsus,

(1) *Trucul.*, II, 4.
(2) *Trucul.*, IV, 2.
(3) *Trucul.*, I, 2.

Calliclem rogat ut se sinat culpam matrimonio corrigere, et occasione tum data veteres sordes eluendi, non abstinet quin novas simul contrahat. Quamvis enim puerum meretricia fraude suppositum a se e Calliclis filia procreatum esse audiverit, hunc tamen Phronesio fraudem inceptam conficere et militem omnino expilare cupienti aliquot dies relinquere sustinet, fallaciæ simul et quæstus futuri particeps. Adde eum cælibis vitæ liberas voluptates vel in matrimonio retenturum esse, et ab amica ita abire ut reditum meditetur, muris exemplum ab ipsa Phronesio oblatum secuturus,

> Ætatem qui uni cubili numquam committit suam,
> Quia, si unum ostium obsideatur, aliud perfugium quærit (1).

Quid ejus turpitudini possit accedere difficile excogites, quum honestum omne proterat, et ceteris Phronesii amatoribus se tertium adscribi patiatur, tantum in societate fraudium et rapinarum primas partes retinens.

Quod ad Dinarchi rivales attinet, illi vel stolidis, vel, ut itam dicam, belluinis moribus insignes, indigni sunt qui nos diu detineant. Alter, Stratophanes miles, ut in armis, sic in amore plus æquo sibi sumit, puerum e vicina domo raptum suum esse non dubitat, cujus in tenera ætate bellicas virtutes jam manifestas miretur, et ad educandum Martis filium quidquid potest lætus largitur; quum vero, gravi patris onere suscepto, grata amatoris jura sibi vindicat, pulchritudinem suam non satis larga liberalitate commendatam opulenta Strabacis rusticitate vinci sentit, et ensem obtusum nequidquam

(1) *Trucul.*, IV, 4.

huic minatus, auri tantum multi pretio, Veneris fastidiosæ partem emit. Alter, nempe Strabax ille, squalidus aspectu, horridus ingenio, crumina minis gravida placet, et stultitiam suam fassus simul ac crepans nummos, præsenti pecunia præsentem amorem exigit. Quibus quidem etiam pejores adolescentes circa Phronesium assiduos esse ex Astaphii verbis suspicari possumus, eos scilicet quos vigil ancilla merito reformidat, furibus propiores quam amatoribus; digitis enim aduncis armati, ut qui non tantum savia rapere soleant, quas steriles attulerant manus, gravidas foras exportant, et Veneris auspiciis ingressi, Mercurio duce egrediuntur (1).

Adolescentibus sola ductis libidine recte annumeraveris et in *Mostellaria* Callidamatem e convivio ad aliud convivium titubanti gradu transeuntem (2), atque tandem potu victum inter amicæ brachia crapulam turpiter edormientem, et in *Asinaria* Diabolum meretricis cupitæ totum annum viginti minis æstimantem, corpusque veluti mercem, qua solus potiatur ac fruatur, certis syngraphi legibus sibi addici jubentem (3). Illis pessimis relictis, alios quæramus non semper meram libidinem spirantes, sive dulcedinem amoris non tantum sensibus sed animo quoque paulisper commoto percipiunt, sive

(1) Confer Ovidium, *Ars amatoria*, III, 447-450:

> Forsitan ex horum numero cultissimus ille
> Fur sit, et uratur vestis amore tuæ.
> « Redde meum », clamant spoliatæ sæpe puellæ :
> « Redde meum », toto voce boante foro.

(2) *Mostellaria*, I, 4.

(3) *Asin.*, IV, 1. Lege quod Naudet annotat de pactionibus amatoriis (*Coll. Lemaire*).

magis ineptos quam fœdos in amando mores ostendunt.

Argyrippus in *Asinaria*, postquam quidquid habebat pecuniæ profudit, a lena foras ejectus, domum clausam, Dinarchi instar, obsidet, et lenæ convicia dolens ac gemens patitur; Dinarcho autem melior puellam revisere optat, a qua certum habet sese acriter desiderari. Quem divitem et multa donantem amavit, Philenium amat etiam egentem et lacrimas tantum largientem. Frustra sua ei mater suadet breves et varios amores quibus magis suam rem augeat; res aucta non ejus animum satis implet, et quod det huic animo sitienti suam matrem sermone miserabili rogat :

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quem volo (1).

Perplacet erga puellam tam fide dignam Argyrippi constans affectus, et ejus verba ab amica digredientis aurem nostram inassueta veri amoris jucunditate valde delectant. Inest quidem Philenii verbis vis acrior certius consilium animumque graviore vulnere læsum significans :

PHILENIUM. — Acerbum funus (mater) filiæ facit, si te carendumst.
. . . .
. . . .
ARGYRIPPUS. — Bene vale; apud Orcum te videbo.
Nam equidem me jam, quantum potest, a vita abjudicabo.

(1) *Asin.*, III, 1.

Argyrippus autem ardore simul et lepore sermonis cum Philenio pæne contendit, quum huic roganti :

> Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas?

hæc suavia et incensa respondet :

> Ego te! qui si intellegam deficere vita, jam ipse
> Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam addam.

Nec minus digna paribus animis ea quæ sequuntur :

> PHIL. — Cur ergo minitaris tibi te vitam esse amissurum?
> Nam quid me facturam putas, si istuc, quod dicis, faxis?
> ARG. — O melle dulci dulcior mihi tu es!
> PHILENIUM. — Certe enim tu vita es
> Mihi : conplectere.
> ARG. — Facio lubens.
> PH. — Utinam sic efferamur (1)!

Prope est ut exoptemus dulcissimum illud colloquium hic finem habuisse, et fabulam, reliquis deficientibus, haud integram ad nos pervenisse; amoribus enim tam suaviter adumbratis indulgere nobis licuisset, quum eos conjecissemus ab incepto ad imum sibi constitisse, et suum leporem totum retinuisse; eis autem Plautus diu parcere noluit, atque etiam tantas maculas impressit ut jucunditas, qua perfusi erant, in fœditatem se verterit.

Quum viginti minis Argyrippus egeat ut amicam in libertatem vindicet, et tot minas in crumina servorum Libani et Leonidæ videat, ad omne dedecus sese

(1) *Asin.*, III, 3.

deprimit, istius thesauri comparandi causa. Herus ac civis eo turpitudinis descendit ut servis supplicet, blandiatur, et eos pulcherrimis nominibus exornet :

> Custos erilis, decus popli, thensaurus copiarum,
> Salus interioris hominis, amorisque inperator.

Ad Leonidam illa; hæc ad Libanum :

> O Libane, mi patrone.

Nec satis habet se tantum turpari, sed ipsam amicam sui dedecoris participem, egestate imperante, fieri sinit, atque eam blanditias et oscula utrique servo vicissim largiri præsens et videns patitur. Cur ita ignavo et abjecto adolescenti Leonida et Libanus ultra parcant? Quidquid probrorum scurrilitas servilis fingere et in herum congerere potest, heri patientia tolerat : alterius genua fricat, alterum dorso gestat vehitque tali equo et ita tractabili superbientem. Num putas hunc omnem ignominiam exhausisse? audi cetera et fœdissimam pacti conditionem, qua tantum accepta exoptatæ minæ concedantur. Demenætus, Argyrippi pater, cujus minæ sunt, non aliter eas filio donat, quam si Philenii nox et cœna sibi retribuantur. Bonus filius non nimis repeti pro tanto munere existimat, et tam cito rem expostulatam annuit, ut Leonidam ipsum attonitum faciat, infra servum nuper deformi obsequio, nunc impudentia revolutus. En quo recidit amor viginti minis egens! Quod nuper Leonida exclamabat, quum Argyrippum adspiceret Philenium, antequam digrederetur, arcte

complectentem, nonne nunc rectius de eodem diceretur?

> O Libane, ut miser est homo qui amat (1)!

Quid vero Philenium? Hæc, in media cœna, inter patrem et filium strata, dum Argyrippi frontem, si minus pudor, tristitia saltem invadit, erga Demenætum oscula dantem et uxoris suæ pallam, ubi surripuerit, promittentem summa comitate utitur, atque senis uxore irata subito interveniente et secum maritum abducente, ita nihil suæ impudentiæ remittit, ut vetulum amatorem jamjam egressurum pallæ promissæ bene meminisse jubeat (2). Digna quidem Argyrippo Philenium est, et ambo pari ignominia fœdati par odium sui faciunt.

Calidori in *Pseudolo* turpitudo minor, major autem stultitia. Hic enim suam erga Phœnicium fidem, questu, gemitu, lamentatione perpetua testatur, et lepidas tabellas lepidis litteris lepida manu ab amica conscriptas exanimatus secum gestat lacrimisque perennibus lavit. Scribit ipsa Phœnicium non sine magno gemitu se Macedonici militis in manum, nisi auxilium afferatur, jamjam venturam esse; cujus epistolæ si prima tantum verba legeres, amores adeo lacrimosos præsertim in Plautinis fabulis valde mirareris; sequentia vero ludos amoris brevi perituros ita vivide describunt, ut ambos amantes interdum fletu abstinuisse suspiceris. Nunc autem, amica pæne amissa, tanta est Calidori desperatio, ut bis sibi mortem consciscere velit. Se primum

(1) *Asin.*, III, 3.
(2) *Asin.*, V, 2.

suspensurus, dein et se et lenonem una cæsurus, quum restis et gladius et, credo, ad moriendum animus simul desint, vitam servare mavult et eam elegis efflavisse satis habet :

> Quasi solstitialis herba paulisper fui :
> Repente exortus sum ; repentino occidi (1).

In irritas voces, quibus saltem non eget, contra Ballionem, lenonum omnium durissimum, effunditur; ille vero preces et crimina et contumelias ingerentem multa cum acerbitate irridet, nec ejus voluntati nisi specie et per ludibrium obsequitur. Animum minus virilem quam hujus amatoris ægre reperias. Pseudolo enim suo servo semper, ut ita dicam, affixus se totum tradit adjuvandum simul et irridendum, nec quidquam agit nisi eo succurrente. Pseudolo eget qui litteris Phœnicii legendis sibi adsit et adfleat :

CAL. — Est misere scriptum, Pseudole.
PSEUD. — O miserrume !
CAL. — Quin fles (2) ?

eget eodem qui secum in lenonem convicia injiciat :

> Pseudole, adsiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis (3).

Negat lacrimas Pseudolus, pumiceos oculos causatus, nec eas in tali re decere ratus nisi argenteas ; convicia non negat, ut cui nunquam ea desint. Omnia Pseudolus

(1) *Pseudolus*, I, 1.
(2) *Pseud.*, I, 1.
(3) *Pseud.*, I, 3.

invenit, inventa perficit et ad bonum exitum perducit, Calidoro nihil aliud quam percipiente fructum rei confectæ. Sui filii audaciam ultra modum, ut videtur, Simo metuit, hoc judicium de eo ferens :

> Si de damnosis aut de amatoribus
> Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
> Nemo antecedat filio, credo, meo (1).

Calidorus se tantis partibus sustinendis imparem ostendit, et ipse sui bene conscius, amantis tantum stultitiam sibi vindicat :

> Non jucundumst, nisi amans facit stulte...
> O Pseudole mi, sine sim nihili (2).

Personam sibi gratam, Pseudoli opera, suscipere potest et usque ad fabulæ finem, haud sui dissimilis, gerere.

In *Cistellaria* feliciter Alcesimarcho contigit ab optima puella amari, quæ, quanquam sui boni generis nescia, sensus ingenuos nihilominus retinuit. Ut fidem integram Selenium (3), pessimis consiliis repulsis, firmo animo tuetur! quam altus amor in ejus pectore insidet! qua simplicitate hunc amorem aperit! quam vera et suavia loquitur! Longe autem alia Alcesimarchus, quamvis se pariter ardere contendat nec infidum reipsa se præstet. Cujus quidem non is est sermo qui ab animo proficiscatur, non is dolor qui nos dolere cogat. Amator

(1) *Pseud.*, I, 5.
(2) *Pseud.*, I, 3.
(3) Selenium, non Silenium. Vetus Codex ubique fere Selenium (Pareus, Notæ criticæ). Vide præfationem *Cistellariæ*, Benoist, Lugduni, 1863.

enim volubilis præcipiti dicendi celeritate suos cruciatus amplificat :

Jactor, crucior, agitor, stimulor, vorsor in amoris rota, etc. (1).

Selenii autem una vox altius acceptum vulnus significat. « Mihi cordoliumst », ait, et Gymnasio meretrice unde sit cordolium, quod non ipsa noverit, rogante, respondet :

Si quid est quod doleat, dolet : si autem non est, tamen hoc hic dolet.

Quibus auditis recte Gymnasium exclamat :

Amat hæc mulier.

Alter, a lena repulsus, iracundia vana et ridicula effertur, et deos omnis generis, magnos, minutos et patellarios testatur se lenam et lenæ filiam et semet ipsum obtruncaturum esse; altera vero, vel se proditam et desertam existimans, represso dolore, omissa omni querela, quanto majorem affectum indicat !

Si, me absente, Alcesimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare; et ut erga mest meritus, mi cordist tamen;
Sed, amabo, tranquille, ne quid quod illi doleat dixeris (2).

Inflata amatoris verba facta segnia sequuntur; omnes et semet ipsum occisurus, omnibus et sibi parcit; nequidquam mortem orat ut se benevolum et amicum recipiat; nequidquam increpat eam nimis morantem; quamvis gladium teneat subrectum, dubius utrum

(1) *Cist.*, II, 1.
(2) *Cist.*, I, 1.

dextrum an lævum suum latus feriat, ejus ut animum, sic gladium suspensum diu mansurum fuisse conjicere licet, etiamsi non Selenium intervenisset in vita vitæ tenacem facile retentura (1).

Alcesimarchi mœrorem Charini dolor in *Mercatore*, amissa amica, ferocibus et inanibus consiliis æquat, amentia superat. Quamdiu Prologi partes agit, sanus sanos alloquitur, et sponte amatores irridet

Qui aut Nocti aut Die
Aut Soli aut Lunæ miserias narrant suas (2).

Fusius enumerat vitia quæ amorem sectari solent; idem vero extra prologum his vitiis plus quam decet laborat. Athenas enim, ubi meretricem valde amabat, quum pater indecoros et sumptuosos amores sæpius ei objiceret, reliquerat, ut Rhodum mercatum iret; mercibus, quas avexerat, optime venditis, ab alia muliere eximia forma, nomine Pasicompsa, jam veteris amoris oblitus, ita motus et devinctus est, ut eam Athenas simul ac lucrum ingens reduxerit. Quam quidem pater amatoris, consiliis melior quam moribus, vix adspectam sibi habere cupivit, et amici ficti nomine emi jussit. Inde Charinus dolet, et multos questus edit, nunc graves amarosque et animo vere moto effusos, nunc inflata aut affectata oratione corruptos.

(1) Quamvis *Cistellaria* non ad nos integra pervenerit, constat tamen ex versibus ab Angelo Mai restitutis Alcesimarchi stultitiam eundo crevisse : utinam potius loci redditi fuissent in quibus non fatuus amator, sed amantissima puella appareret !

(2) *Mercator*, I, 1.

Laborantis animi sollicitudines et miserias hæc profecto vividius exprimunt :

Igitur hoccinest
Amare? Arare mavelim quam sic amare.
. . . .
Ubi
Voluptatem ægritudo vincat, quid ibi inest amœni (1)?

Illa autem a veritate remota sunt, nec in tantas ampullas effunditur amator amico malum nuntium afferenti respondens :

Montis tu quidem mali in me ardentis jam dudum jacis.

Nec verus dolor tam ingeniose circa verba ludit, ut in his versibus :

Ni oculos lacrumæ defendant, jam ardeat, credo, caput (2).
. . . .
Edepol cor miserum meum,
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem (3).

Minime mirum est ita loquentem, paulo post, quum varias argutias serendo suam amicam obstinato patri subducere tentaverit, desperatione parum metuenda affectum iri. Relinquendæ vitæ certus, ut ait, quomodo relinquat hæret, varia mortis genera versat, et, omnibus perpensis, exsulare mavult quam mori; exsulaturus autem iterum moratur, nuper quam mortem, nunc quam civitatem eligat, incertus. Exsulat

(1) *Merc.*, II, 3.
(2) *Merc.*, III, 4.
(3) *Merc.*, I, 2.

tantum ejus sana ratio et longius quam ipse vagatur. Stans enim in eodem loco, sibi videtur in currum ascendere, lora in manus capere, et ad Cyprum, ut Pasicompsam reperiat, recta proficisci; e Cypro ad Chalcidem pervenit, ubi duas res hospes e Zacyntho ei occurrens nuntiat, nempe Zacynthi ficos fieri non malas, et amicam, longe quæsitam, Athenis esse; Athenas et ipse statim petit, et in domum suam vix relictam, non nimis errando lassus, regreditur. Nugas istas Eutychus fide spectata amicus perpetiatur; fastidium nostrum movet amator, suos amores ipse irridens.

Hoc quidem sæpius vitium est Plautinorum amatorum : ea, quæ sentiunt, ipsi ludibrio habere videntur, quasi personam indutam subito deponant. Ita ludit in *Rudente* Plesidippus (1), nec minus displicet ejus audientis Palæstram sibi in matrimonium dari alacritas insulsa et in ineptas quæstiunculas effusa (2) quam insania Charini de sua amica desperantis.

Non equidem miror in *Bacchidibus* Mnesilochum, quum se credat ab amica proditum esse, magna ira incensum exclamare :

> Egon illam mulierem
> Capitis non perdam? perire me malis malim modis (3).

Eumdem autem miror, dum irascitur, quo sua ira mox evasura sit prævidere, et certius prædicere minas

(1) Vetus Codex scribit : « Plesidippus », non « Pleusidippus ». Vide notas *Rudentis*, Benoîst, Paris, 1864.
(2) *Rudens*, IV, 8.
(3) *Bacch.*, III, 3.

in Bacchides a se jactas in suum caput ac suam rem redundaturas :

Nam mihi divini numquam quisquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurumis planeque...amo.
Ego faxo haut dicet nactam quem deluserit.
Nam jam domum ibo...atque aliquid subrupiam patri.
Id isti dabo. Ego istanc multis ulciscar modis,
Adeo ego illam cogam usque...ut mendicet meus pater (1).

Quam rarus est apud Plautum adolescens cujus amor bonam et simplicem naturam redoleat, nec morum petulantia nec orationis lascivia corrumpatur! Philolaches in *Mostellaria* e ceterorum amatorum numero se eximere primum videtur : amicæ enim non tantum pulchritudinem, sed etiam virtutes laudat ; forma jam gratam venusto ingenio et probata fide gratiorem habet, et sibi gaudet nihil esse ejus causa. Idem vero nunc nimis exquisita et elaborata sapientia redundat, nempe quum contendit liberorum animum, velut domum a parentibus examussim factam et expolitam, vi cupiditatis permadefactam labare et perire, et adspecta simul amica, ea similitudine ita abutitur, ut jam nescias utrum faber an amator loquatur (2) ; nunc ad vim amoris significandam non tantum lepidum et concinnum dicendi genus adhibet, sed interdum affectato sententiarum et verborum delectu utitur, quum, exempli gratia, videns Philematium ori suo speculum admoventem exclamat :

Ei mihi misero ! savium speculo dedit.
Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo dimminuam caput (3).

(1) *Bacch.*, III, 4. — Hunc locum Lambinus (*Pl.*, Lutetiæ, 1576) incaute miratur : « Mire exprimitur amantis perturbatio, et inconstantia ; etc. »
(2) *Mostellaria*, I, 2.
(3) *Mostell.*, I, 3.

His verbis emissis, quis non audire credat pulchellum Mascarillum in inclyta fabula putide dicentem? Is amator, qui speculo invidet, mensæ, cui Philematium accumbit, Callidamatem adolescentem, vino mersum, novum convivam adhibere sustinet, et eodem tempore quo sermonis eximiam elegantiam, ut amicam laudet, captat, in patrem, atrox filius, indigna vota facit :

Utinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur,
Ut ego exheredem meis bonis me faciam atque hæc sit heres (1).

Agorastocles in *Pœnulo* miram morum castitatem affectat ; adspecta enim, quam amat, Adelphasio, subsistit procul, et Venerem e cœlo migravisse ratus, non alia veneratione prosequitur ac deam ; suos tantum oculos ejus pulchritudine, aures sermone satiat, nec plura, stupente servo Milphione, desiderare videtur. Ut Philematii Philolaches, sic Adelphasii Agorastocles honestam et concinnam orationem admiratur, et vividum amorem et jocos, paucis exceptis, venustos lepide miscet :

ADELPH. — Invidia in me numquam innatast neque malitia, mea soror.
Bono me ingenio esse ornatam quam auro multo mavolo.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Bonam ego quam beatam me esse nimio dici mavolo.
Meretricem pudorem gerere magis decet quam purpuram.
Magisque meretricem pudorem quam aurum gerere condecet.
Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno conlinunt ;
Lepidi mores turpem ornatum facile factis conprobant.

AGORAST. — Eho tu ! vin tu facinus facere lepidum et festivom ?

MILPH. — Volo.

(1) *Mostell.*, I, 3.

AG. — Potesne mihi auscultare?

MILPH. — Possum.

AG. — Abi domum; suspende te.

MILPH. — Quamobrem?

AG. — Quia jam numquam audibis verba tot tam suavia (1).

Quamvis sentiat suum amorem a puella fastidiri, molli questu eam increpat, nedum læsus acriter irascatur :

ADELPH. — Quid tu ais? quid mihi molestu's? obsecro.

AGOR. — Ah! tam sæviter!

Nec etiam repulsus blandis verbis parcit, sed eamdem ad Veneris templum, ut alias spectet et ipsa spectetur, properantem comiter rogat :

Qui lubet spectare turpis, pulcram spectandam dare (2)?

Quomodo fit ut tam mitem et elegantem adolescentem respuat Adelphasium venusti ingenii puella? Totum amatorem nosce, et mores, specie quidem laudabiles, vitio autem latenti fœdatos. Sua veneratione eam prosequitur quam negat, etsi dives, redimere, et servans nummos, quos falso contendit amica præsente fieri *lymphaticos*, suavissima verba largitur, nempe gratuita. Sermonis lepores non minus parcam quam argutam in eo naturam arguunt, nec tantum intempestivi sunt,

(1) Huic loco confer duos ex incerta Menandri fabula versus :
"Οταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμῇ τρόπος
χρηστός, διπλασίως ὁ προσιὼν ἁλίσκεται.
(Meineke, *Incertarum fabularum fragmenta*, XCIX.)

(2) *Pœnulus*, I, 2.

quum loco nummorum effundantur, sed etiam insulsi, quum puellam merito fastidientem sine intermissione lacessant.

Sæpius apud Plautum invenire est adolescentes aut amori frigidius operam dantes, aut peccata pœnitendo corrigentes, aut etiam omni peccato vacuos quam amorem sincerum et verecundum foventes.

Pleusides, in *Milite glorioso*, cujus hospes, lepidus senex, nomine Periplectomenes, occultos amores, militem fallendo, adjuvat, semet ipsum ita graviter reprehendit qui tales curas ætatis maturæ viro præbeat, ut tam verecunda et pæne tam rigida juventute attonitam habeat jocosam hospitis senectutem. Alterum alterius personam, dum colloquuntur, agere credas, senem amatoris, amatorem senis. Alter, ætatis onus leve habens, cælibis vitæ commoditates prædicat; amoribus meretriciis implicitus alter matrimonii bona gaudia laudat et hospiti respuenti commendat. Frustra Periplectomenes pro uxore oblatratricem ei ostendit et quasi minatur; vel hoc pretio emptum munus patris Pleusides approbat :

At illa laus est magno in genere et in divitiis maxumis
Liberos hominem educare, generi monumentum et sibi (1).

Ita suas cogitationes in futura et meliora gaudia præmittentem non mirum est præsentes et illicitos amores segniter curare et aliis tutandos committere, minus ignavia inhibitum quam verecundia. Inde fit ut suas partes in dolo, quem finxit Palæstrio servus, conficiendo,

(1) *Miles gloriosus*, III, 1.

non sine cunctatione suscipiat, et ornatu nauclerico incedens de sua ficta et indecora veste pæne erubescat (1). Laudandus est a morum præceptore ita teneræ frontis adolescens, ab officio discedens invitus; res autem comica vividiores affectus poscit, quibus spectator moveatur et delectetur, nec immerito Periplectomenes, ipse quidem nimis ad voluptatem propensus, Pleusidem umbram amantis potius quam amantem vocat.

Lesbonicus, in *Trinummo*, in profundo vitiorum diu jacuit, sed eum inducit poeta jam emergentem, et ad littus, ut ita dicam, arripiendum nitentem. Dum pater rem a filio fractam reparare mercaturam faciendo conabatur, paternas ædes hic vendere sustinuit, et intra quindecim dies pretium acceptum absumpsit. Quum Stasimum servum suum rogat quid de eo factum fuerit, hic respondet :

Comessum, expotum, exunctum, elutum in balineis.

Multum et a scortis raptum est, sed non totum tamen in turpia effusum est; aliquid per benignitatem abiit, bonæ quidem indolis signum; mille enim drachmarum pro alio spopondit, et damnosam imprudentiam, quam Stasimus increpat, egregia excusatione defendit :

... Eum vidi miserum et me ejus miseritumst (2).

Ingenuum animum in vita luxuriosa non omnino exstinctum fuisse testatur servata in inopia dignitas.

(1) *Mil. glor.*, IV, 7 :

Alium alio pacto propter amorem ni sciam
Fecisse multa nequiter, verear magis
Me amoris causa hoc ornatu incedere.

(2) *Trinummus*, II, 4.

Quum Lysiteles Lesbonici sororem in matrimonium sine dote rogat ut amico egenti opituletur, ille, quas in angustias suis vitiis redactus sit intelligens, munificentiam severis consiliis admixtam valde repudiat, atque animi ferocia elatus simul ac pudore stimulatus, et in amicum et in semet ipsum vehementer invehitur :

Omnia ego istaec quæ tu dixti scio vel exsignavero :
Ut rem patriam et gloriam majorum fœdarim meum.
Scibam ut esse me deceret, facere non quibam miser :
Ita vi Veneris vinctus, otio captus (1) in fraudem incidi.
. . . .
Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leves,
Sed ut inops infamis ne sim : ne mi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis quam in matrimonium.
Quis me inprobior perhibeatur esse (2) ?

Quidquid, præter vitam, superest, agrum nempe suburbanum, sorori suæ relinquit, et infamiam cum divitiis procul a se removens inopiam cum laude conjunctam amplectitur. Sua enim peccata castigaturus perinde ac vitam sustenturus, forte consilium mente concipit, et conceptum exsequeretur nisi pater, mercatura dives factus et opportuno tempore redux, eum cum Calliclis filia matrimonio conjungeret.

Lesbonici amicus Lysiteles non vitia debuit exuere quibus nunquam indulserat, rarum et in Plautinis adolescentibus et in moribus antiquis temperantiæ exem-

(1) Vetus Codex scribit : otio captus ; Ambrosianus : OTI·APTUS, « et ita quidem ut O an C fuerit quarta littera, non liquet, sed illud tamen veri paullo similius visum sit. » *Aptum*, Nonio interpretante, « conexum et colligatum » significat. (Ritschl. *Trinummus.*)

(2) *Trinummus*, III, 2.

plum. Multa quidem præcepta sapientiæ, ut ceteri, edit; imo, quæ docet efficienda, efficit. Ipse autem, dum amoris verbum usurpat, nihil aliud significat nisi libidinem, et a ceterorum amoribus discrepans, rem fugiendo, illorum sensus refert, eam definiens :

> Blandiloquentulus, harpago, mendax,
> Cuppes, avarus, elegans, despoliator,
> Latebricolarum hominum corruptor. Etc.

Talem in amorem vivide et acriter invectus duas res tantum cum eo conjunctas ex insectatione excipit, et sibi esse cordi fatetur; quæ sint rogas? convivia et potationes.

> Apage te,
> Amor, non places, nihil te utor :
> Quamquam illud est dulce, esse et bibere (1).

Quem amatorem, tot fabulis Plautinis inspectis, semper absentem desideramus, in solo *Curculione* tandem invenimus. Amat quidem Phædromus in lenonia domo, sed mulierem genere et sensibus supra turpem conditionem elatam, et amori suo respondentem. Pudorem ejus intactum vel tantum aliquot saviis læsum ipse laudi vertit, etsi suis cupiditatibus impedimentum. Fronte hilaris, animo fervidus, ingenio venustus, sui amoris ardorem sermone leporibus imbuto testatur. Hunc audi domus, in qua Planesium custoditur, pessulos

(1) *Trin.*, II, 1. — Haud aliter intelligenda est Lysitelis sententia, si hæc verba « Quamquam illud est dulce » etc., quæ superioribus V. C. jungit, cum eis quæ subsequuntur construis, quod facit Ritschl :

> Quamquam illud dulcest, esse et bibere,
> Amor amari dat satis quod ægrest.

increpantem : Tibullum ipsum ad januam Deliæ morantis ardere et queri crederes.

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amœnissumi.
. . . .
Subsilite, obsecro, et mittite istanc foras,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia conmovent se ocius.

Omnia muta inducit loquentia, nec minus quam pessulos compellat et precatur adspersas vino fores :

Agite bibite, festivæ fores,
Potate, fite mihi volentes propitiæ.
. . . .
Viden ut aperiuntur ædes festivissumæ !
Num muttit cardo ? est lepidus (1).

Omnia vilia sordidave, quum ejus ingenium amor incitet, orationis nitore exornat atque illustrat. Custode Palinuro cereum increpante, quem nocturnus amator, tanquam sibi sit puer, in manu gerit, hic statim :

Egon apicularum opera congestum non feram,
Ex dulci oriundum melliculo dulci meo?

Nec jocos non effundit, sed eos qui, nonnullis exceptis, ingenium adolescentis amore exhilaratum deceant. Lenam ut alliciat, vini florem spargit, nec solum ejus na-

(1) De foribus ab excluso amatore compellatis et obsecratis confer Lucretium, *De rerum nat.*, IV, 1165-67. — Tibullum, *Eleg.*, I, 2. — Ovidium, *Am.*, I, 6. — Persium, *Sat.*, V, 165.

res odore, sed guttur amphora delectat. Bacchum ad suum auxilium advocans :

Respice ad me, lena.
ANUS. — Inperator quis est?
PH... — Vini pollens, lepidus Liber,
Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ
Adfert potionem, et sitim sedatum it.

Eamdem ut sibi propitiam efficiat :

Tibi ne ego, si fidem servas mecum,
Vineam pro aurea statua statuam
Quæ tuo gutturi sit monumentum.

Ubi primum amicam adspexit, jam non sui præ admiratione compos, vehementes animi affectus effundere et cum alio communicare gestit :

PHÆD. — Palinure, Palinure.
PALIN. — Eloquere, quid est quod Palinurum voces.
PH. — Est lepida.
PAL. — Nimis lepida.
PH. — Sum deus.
PAL. — Immo homo haut magni preti.

Palinurum frigentem et tantam vim amoris vituperantem odit et increpat; hic autem servus, ut incipit jam non herum, sed heri amicam acerbe dictis carpere, suæ audaciæ graviores pœnas expendit.

Vehemens est et concitata Phædromi indoles, sed non usque ad petulantiam et protervitatem; etiam quum juventute et amore effervescit, et amans amantem arcte complectitur, ardor animi non in obscena verba et tur-

pes facetias, sed in vividas et generosas voces erumpit, vatibus lyricis pæne optandas.

Pl. — Tene me; amplectere ergo.
Ph. — Hoc etiamst quamobrem cupiam vivere.

. . . .

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites,
Sibi honores, sibi virtutis, sibi pugnas, sibi prœlia:
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant quod suumst (1).

Displiceat istius generis insania Palinuro voluptatem tantum quæ non animum moveat probanti; nos aliter sentientes vellemus Plautini adolescentes sæpius ita insanirent.

II

Apud Plautum miramur unum adolescentem inveniri qui magnum amorem decoro sermone expromat; hoc autem apud Terentium animadvertendum est vel liberrimos amatores in ipsa culpa aliquid pudoris et sinceri leporis semper retinere. Ut Plautus in *Bacchidibus*, sic Terentius in *Eunucho* depinxit adolescentem hucusque temperantem et subita cupiditate correptum atque inflammatum : Chærea enim virginem prætereuntem videt, visam exoptat, exoptata nisi potiatur perit, sed potius quam pereat, ejus pudorem, eunuchi veste tectus, expugnat. Num tibi fingere potes concitatiorem adolescentem? num, ut verbo Plautino utar, pleniorem sanguinis? Hujus vero amatoris non tantum sensus cupiditate flagrant; ipse animus adspectæ virginis mira

(1) *Curculio*, I, I, 2, 3.

pulchritudine capitur, commovetur, vix suus est. Bacchides, ut Pistoclerum delenirent, munditiis, vino, nocte, suas illecebras commendabant ; Chærea Pamphilam nullo fuco, nulla arte ornatam, ætatis tantum flore et robore nitentem, ob ipsam amat, et impetu naturæ potius rapitur quam vitiorum irritamentis, dum peccat, allicitur. Indoles aperta, vehemens, incensa, in agendo temeraria, ad naturæ similitudinem descripta, etiam quum extra rectam viam se proripit, hoc saltem placet quod nullam feritatem præ se fert, et, factis audax, verborum turpitudine abstinet. Quam viam joco servus aperit, quum herum hortatur ut eunuchi vestem induat, serio sibi monstrari putat, optimam habet, statimque tentat; ubi primum sui voti compos fuit, e domo Thaidis, amore, lætitia et fiducia juvenili exsultans, erumpit, nec potest non facinus egregium et recentis gaudii onus in quaslibet aures deponere ; narrationis autem in loco maxime lubrico parum moratur, et quorsum res evaserit breviter et salse indicans, suam licentiam joco simul tegit et significat :

Ch. — Interea somnus virginem opprimit. Ego limis specto
Sic per flabellum clanculum : simul alia circumspecto
Satin explorata sint. Video esse. Pessulum ostio obdo.
Ant. — Quid tum?
Ch. — Quid « quid tum » fatue ?
Ant. — Fateor.
Ch. — An ego occasionem
Mi ostentam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam
Amitterem? Tum pol ego is essem vero, qui simulabar (1).

(1) *Eunuchus*, III, 5. *P. Terenti Comœdiæ*, Fleckeisen, Lipsiæ, 1874.

Lasciviunt ad breve tempus Terentiani adolescentes ad bonam frugem, prima occasione data, se recepturi. Chæreæ cupido, quæ huc illuc vagari et circa Thaidem ipsam ludere videbatur, in certo et legitimo Pamphilæ amore libenter acquiescit. Quam servam esse ratus vitiaverat, ubi civem agnitam fuisse discit, poscit in matrimonium, nec minus ad culpam corrigendam festinat quam nuper ad admittendam, semper animo fervidus, nunc autem, officio cum voluptate conjuncto, laudabilior. Levem specie naturam cepit amor non minus constans quam subitus; Pamphilam enim sibi sponsam esse majore etiam lætitia profitetur quam nuper dulce furtum narrabat; servo, patri, fortunæ, diis etiam summas grates agit, atque pius amore factus Jovem ipsum invocat, non jam illum in aureos imbres mutatum et mortalibus puellis insidiantem, sed hunc, ut summum deum decet, servatorem et fluxæ hominum felicitati consulentem.

Sic emendatus Chærea magis etiam quam nuper a Pistoclero distat. Ceterum multo rectius conferri potuit cum hoc Terentiano amatore adolescens a gallico novissimi sæculi scriptore descriptus, nempe Cherubinus. Prima in utroque juventus effervescit, etsi non eadem licentia; hujus timida et dubia cupido; illius certior et petulantior; Chærea, fateor, non nubibus et ventis suos amores narrando tempus terit, sed ipse Cherubinus non semper ventos et nubes assectatur, aut voluptates sine corpore appetit. Ut Chærea eunuchi Pamphilam custodientis, sic Cherubinus ancillæ formosam Almavivæ conjugem ornantis gratum munus exoptat, et animo

præoccupat ; pæne eadem vota nec ita dissimilibus verbis facit, ut suspiceris latinam fabulam vel in nostrum sermonem versam, vel a *la Fontaine* iterum tractatam gallico scriptori non omnino incognitam fuisse (1).

CHÆREA. — O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur [domum !
PARMENO. — Quid ita?
CH. — Rogitas? summa fortuna semper conservam domi
Videbit, conloquetur, aderit una in unis ædibus.
Cibum non numquam capiet cum ea : interdum propter dor- [miet (2).

Cherubinus autem Suzannam alloquens :

Mais que tu es heureuse ! à tous moments la voir, lui parler, l'habiller le matin et la déshabiller le soir, épingle à épingle... Ah ! Suzon ! je donnerais (3)...

Cherubini amor, etsi incensus, aliquid tenerum et suave redolet quod a promptiore Chærea frustra requiras : novit enim, nemine nisi natura docente, mulierum « molles aditus et tempora », nec ullus in latina fabula locus ea jucunditate adspersus est, qua nos delectat brevissimum hujus adolescentis verecundia simul trementis et amore flagrantis cum amata domina colloquium. Quo leporis exquisito genere victus

(1) Génin non dubitat quin Cherubinus e lepido mediæ ætatis scripto, quod *Jehan de Saintré* inscribitur, repetitus fuerit (*Variations du langage français depuis le* XII[e] *siècle*, Didot, 1845). De Loménie scriptorem comicum potius arbitratur ad suæ fervidioris ætatulæ similitudinem hanc personam effinxisse (*Beaumarchais et son temps*, t. I, Paris, 1858) ; qua quidem in re plura facilius conjicias quam unum asseveres.

(2) *Eun.*, II, 3.

(3) *Le Mariage de Figaro*, acte I, sc. VII.

Chærea in hoc saltem majorem morum modestiam ostendit quod non plures mulieres diu venatur, nuptis abstinet, et animi magis ardentis quam libidinosi, virginem a se pollutam uxorem sponte ducit; Cherubinus autem ancillæ simul ac dominæ, contemptis maritis, blanditur, basia alii, alii fasciolam furatur, bonam ætatem mavult, sed ne maturam quidem fastidit (1), potius lascivia impulsus quam vero amore captus fixusque. Promptior est et vehementior alterius natura, sed quæ citius defervescat et in rectam viam se recipiat; alterius specie magis timida et innoxia, sed quæ majora paulatim audeat, feminas incautas usque ad culpam emolliat, et illicitas voluptates diu secuta bonis moribus gravius damnum afferat.

Phædria, Chæreæ frater, in meretricis retia, sicut plerique apud Plautum adolescentes, lapsus est; quantum autem ab illis ingenuo animo discrepat! Ut ejus amor, qualicunque modo afficitur, sive diffidit, sive irascitur, nec verborum turpitudine aut lascivia corrumpitur, nec indecora sapientia refrigescit! Illud mentis acumen, quo Plautini amatores suos ipsi sensus subtilius dispiciunt, et sua consilia in vanum abitura esse prænuntiant, apud Terentianos ipsa vi amoris obtunditur. Amatoris varias cogitationes et imbecillam voluntatem fusius depingit non amator ipse, sed persona magis sui compos, amentiæ, quam increpat, non particeps, sed tantum testis, qua loquente, moribus descriptis eo vehementius delectamur quo diligentius

(1) *Le Mariage de Figaro*, acte I, sc. VII.

veri species effingitur. Haud aliter Phædriæ inscitiam monet Parmenonis servi prudentia :

... Quæ res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia : injuriæ,
Suspitiones, inimicitiæ, indutiæ,
Bellum, pax rursum : incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nilo plus agas,
Quam si des operam ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas
« Egone illam, quæ illum, quæ me, quæ non! Sine modo,
Mori me malim : sentiet qui vir siem. »
Hæc verba una me hercle falsa lacrimula,
Quam oculos terendo misere vix vi expresserit,
Restinguet, et te ultro accusabit, et dabis
Ultro ei supplicium (1).

Ut Dinarchus a Phronesio, sic a Thaide Phædria expulsus est ; alter autem amicæ vix apparentis pulchritudinem, injuriæ acceptæ immemor, inhiat et summis laudibus extollit ; alter, vim amoris horrescenti corpore confessus, in limine saltem moratur, et aliquid dignitatis retinet. Nunc Thaidis blanditias iratus et irridens accipit ; nunc, amore nimio victus, in hos questus vividos et acerbos erumpit :

O Thais, Thais, utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi doleret itidem ut mihi dolet,
Aut ego istuc abs te factum nili penderem !

(1) *Eun.*, I, 1. Recte Donatus hic refert verba Charini amore laborantis ad servum Byrriam objurgantem : « Facile omnes, quom valemus, recta consilia ægrotis damus. » (*Andria*, II, 1.) — Hunc locum de Menandri *Eunucho* translatum, quod indicant pauci versus e græca fabula exstantes, in Horatii et Persii satiris invenimus. Horatius Terentium potissimum sequitur, cujus verba pæne transcribit ; Persius autem Menandrum, sicut testantur quum veteris interpretis verba, tum Menandrearum personarum nomina, a Terentio mutata, a Persio fideliter servata. — Vide Hor., *Sat.*, II, 3 ; Pers., *Sat.*, V ; Meineke, *Menander*, Εὐνοῦχος.

Frustra Thais sincero animo causam non inhonestam affert cur alium amatorem admiserit; et bonam amicæ fidem, et optimam allatam causam Phædria minime curat; hoc tantum reputat, alium sibi præponi, nec pati potest :

> Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique :
> Ego excludor, ille recipitur. Qua gratia ?
> Nisi si illum plus quam me amas...

Thaidis animum suo respondere et semper adstrictum manere ante omnia cupit : hunc movere nititur ; hunc ubi motum sentit aut sensisse putat, jam labascit, atque uno verbo et illa, quam Parmeno præviderat, lacrimula victus, exsilium, nuper intolerandum, non detrectat ; hunc denique vel absens, vel pulchritudinem amicæ fruendam alii tradens, vult solus retinere, solus, ut ita dicam, possidere, nec aliud rivali cedere nisi noctem voluptate vacuam et quasi nullam.

> THAIS. — ... Numquid vis aliud ?
> PHÆD. — Egone quid velim ?
> Cum milite isto præsens absens ut sies (1) :
> Dies noctisque me ames, me desideres,
> Me somnies, me expectes, de me cogites,
> Me speres, me te oblectes, mecum tota sis :
> Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuos (2).

Phædria quidem nimium sibi sumpsit, et vix profectus jam redit, ut Thaidis visu vel procul fruatur ; ea

(1) Conf. *Virgil. Æn.*, IV, 83 : « Illum absens absentem auditque videtque. »

(2) *Eun.*, I, 2. Vide Fénelon, *Lettre à l'Académie française*, VII : « Peut-on désirer un dramatique plus vif et plus ingénu. »

autem ipsa voluptas, qua suum ægrum amorem solatur, naturam non libidinosam arguit :

> Certe extrema linea
> Amare haud nil est (1).

Quam intra lineam Plautinos amantes ægre, credo, cohibeas, et hanc et ceteras, nisi leno obstet, celeriter transire solitos. Non equidem nego quædam huic fabulæ inesse a nobis merito respuenda, militem nempe vel ob bonam causam in adolescentis amati locum succedentem, et in domo Thaidis ab ipso Phædria toleratum quasi opimam, unde bene victitetur, prædam, sed ea quam leviter et lepide Terentius attingit ! Thais enim virginem ingenuam sibi a milite oblatam parentibus restitutura, et Phædriam beneficii socium habitura, rem inhonestam bona specie benignitatis commendat, atque uno verbo, nec immodesto, significat :

> Id, amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.
> Sine illum *priores partis* hosce aliquot dies
> Apud me habere (2).

Ipse parasitus Gnatho, quum Phædriam rogat ut militem apud Thaidem in parte aliqua manere patiatur, jocis et salibus rei efflagitatæ turpitudinem tegit ; suum enim herum depingit minime formidandum rivalem, opibus abundantem, ingenio stolidum, in amore tardum et inertem, ad hoc denique natum ut comedatur atque ebibatur. Postquam Phædria breviter assensit,

(1) *Eun.*, IV, 2.
(2) *Eun.*, I, 2.

Thrasoni roganti : « Quid agimus? » Gnatho facete respondet :

> Quid ? isti te ignorabant : postquam eis mores ostendi tuos,
> Et conlaudavi secundum facta et virtutes tuas,
> Inpetravi (1).

Risimus, salvus est Phædria, gravioremve saltem vituperationem effugit.

Alius in *Phormione* adolescens, Phædriæ cognominis, haud sane eximios amores fovet; namque deperit citharistriam, nec in hoc Plautinis adolescentibus melior, nec etiam opibus, quibus amicam redimat, auctior. Attamen ad eamdem inopiam redactus non ita cupiditati inservit, ut eumdem risum, eadem fastidia moveat. Hunc enim Terentius faceto lepore depingit citharistriæ vestigia servantem, suos tantum oculos ejus pulchritudine pascentem, et ea exigua voluptate, quum major negetur, frui coactum; hactenus miserum amatorem illudit, nec eum ostendit diem totum lamentis indulgentem aut indigna convicia perpetientem. Calidorum et Phædriam inter se compara cum lenone litigantes, et intervallum temporis, ut promissum argentum solvant, rogantes; quamvis res cujusque sint in eodem loco, atque uterque vehementer idem postulet, quanto minus Phædriæ dignitas in hoc jurgio imminuitur et deprimitur ! Utrumque enim egenum amatorem uterque leno irridet, sed alterum Ballio gravius et contumeliosius, Dorio levius et lepidius alterum. Nec Phædria, dum servi auxilium exposcit, ad ignominiosam, velut Argyrippus, efflagi-

(1) *Eun.*, V, 8.

tationem descendit. Addubitantem et morantem Getam simul ac Antiphonem, suum patruelem, interpellans hoc tantum verbo precatur vel potius leviter increpat :

> Quid? ego vobis, Geta, alienus sum (1)?

Nihil in hoc adolescente indecorum, nihil ridicule immodicum. Dolor ejus, vel spem omnem abjicientis, non in meram insaniam mutatur, non gladium educit mox incruentum in vaginam rediturum; tristia quidem, non inepta, consilia agitat, ad irritum sine dubio casura, sed quæ ægro amori placeant et aliquid levationis afferant. Est ubi quoque sapiat, sed breviter et tempestive, nempe quum avaritia lenonis ab amica semotus Antiphonem videt fidos et securos amores foventem. Suæ eum miseriæ vitæ melioris admonent, et ei præcepta subjiciunt quæ valde timeo ne sine ullo effectu, lenone mansuescente, dilabantur, animum tamen laborantem deceant, et bonam indolem vel moribus lascivis subesse significent.

Chremes in *Heautontimorumeno* suum filium luxuria et lascivia diffluere queritur, nec pessimis nominibus parcens, eum heluonem, ganeonem, damnosum vocat : noli autem patris irati verbis nimiam fidem habere, et disce ganeonis Terentiani mores venia potius quam odio dignos esse. Voluptas enim Clitiphonem allexit, allectum detinet, non ita tamen ut sanum ejus ingenium omnino corruperit. Bacchidis enim, cujus forma captus

(1) *Phormio*, III, 2.

est, vitia videt, atque etiam dolet, sed cursim, ut qui sentiat se dolendo nihil profecturum esse :

> Meast potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis (1).

Cliniæ sui amici meliores amores laudat, ipse autem deteriores sequitur, multis illecebris delibutos. Faciliorem et sibi nimis indulgentem naturam commendat saltem venusta et lepida ingenuitas, sive fatetur minus apud se valere patris quam amicæ verba, sive patres velut iniquos in omnes adolescentes judices increpans, orituris ex se filiis se benigniorem futurum esse promittit. Incertum est utrum et ipse olim pater paternos sensus induturus sit necne, sed nunc adolescens adolescentium ut mores, sic orationem habet, hoc ipso naturæ propior quam Plautini amatores sapientia senili sua juvenilia facinora vituperantes. Vivida quidem, non autem effrenata, qua tenetur, cupiditas, pudoris moras novit. Syro enim servo nuntiante Bacchidem, quasi Cliniæ amica sit, ipsius Chremetis domum jamjam intraturam esse quo facilius amantes suo animo morem gerant, primum stupet et indignatur, deinde inter pudorem commotum et calefactum amorem jactatus nescio an cederet amori, nisi Cliniæ et Syri consiliis urgeretur, et ipse timeret ne voluptatem ad manum paratam procul a se in perpetuum amoveret. Syrum simulantem se abire, quasi Bacchidem remissurus sit, identidem revocat, et vi cupiditatis tandem victus, exclamat :

> Et me et meum amorem et famam permitto tibi (2).

(1) *Heaut.*, II, 1.
(2) *Heaut.*, II, 3.

Multa quidem, non nego, audebit, data occasione, Clitipho; ejus autem audacia facta Terentius obscenis verbis, ut solet, amotis, per obliquam suspensamque orationem atque eo jucundiorem significat. Etenim Chremete persuasum habente suum filium Bacchidis amore in speciem tantum flagrare, quo melius ab amico Clinia suspicionem avertat, ejus obstinatam opinionem Menedemus, Cliniæ pater, simul ac se probare joco fingit, penitus labefactat, dum adolescentem ostendit amatoris partibus adeo vehementer fungentem, ut rem suam agere videatur potius quam alienam.

MENEDEMUS. — Sed ille tuom quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem subolat esse amicam hanc Cliniæ.

CHREMES. — Quid ais ?

MEN. — Mitto jam osculari atque amplexari : id nil puto.

CHR. — Quid est quod amplius simuletur ?

MEN. — Vah.

CH. — Quid est ?

MEN. — Audi modo.

Est mihi ultimis conclave in ædibus quoddam retro :
Huc est intro latus lectus, vestimentis stratus est.

CHR. —Quid postquam hoc est factum ?

MENED. — Dictum factum huc abiit Clitipho.

CH. — Solus ?

MEN. — Solus.

CH. — Timeo.

MEN. — Bacchis consecutast ilico.

CH. — Sola ?

MEN. — Sola.

CH. — Perii.

MEN. — Ubi abiere intro, operuere ostium.

CH. — Hem,

Clinia hæc fieri videbat?

MEN. — Quid ni? Mecum una simul.

CHR. — Filist amica Bacchis: Menedeme, occidi.

MEN. — Quamobrem?

CHR. — Decem dierum vix mihist familia.

MEN. — Quid? istuc times quod ille operam amico dat suo?

CHR. — Immo quod amicæ.

MEN. — Si dat.

CHR. — An dubium id tibist?
Quemquamne tam comi animo esse aut leni putas,
Qui se vidente amicam patiatur suam...?

MEN. — Quid ni? Quo verba facilius dentur mihi.

CHR. — Derides merito (1).

Quæ nimio Bacchidis amore Clitipho peccavit, sua vivida erga parentes caritate saltem extenuat, atque ad extremum emendat. « Emori cupio » (2), ait, ubi primum patris vituperationem et minas pro solitis blanditiis audit; eas enim ita moleste fert, ut se filium subditum esse credere malit quam parentibus invisum, et a matre quid verum sit miserabili oratione siscitetur. Quum tandem compertum habet se falsa suspicari, hanc culpam odit quæ tantos angores secum afferat :

Eheu, quam nunc totus displiceo mihi!
Quam pudet! neque quod principium capiam ad placandum scio (3).

Minus, ut opinor, amatorem amavisse pœnitet quam filium amando patrem abalienavisse; qua pietate im-

(1) *Heaut.*, V, 1.
(2) *Heaut.*, V, 2.
(3) *Heaut.*, V, 4.

pulsus, quæcunque pater imperaturus sit se facturum esse non satis cautus profitetur; patre vero statim uxorem ducendam imperante, reclamat uno verbo adolescens quasi pœnam leviorem exspectaverit, atque animo vix e mediis voluptatibus elapso et adhuc male composito gravem conditionem reformidet. Venustum et facetum ingenium vel emendatus Clitipho retinet, nec parum lepidis verbis se patri obtemperaturum et uxorem ducturum esse tandem pollicetur cum hac exceptione ne « rufa sit, cæsia, sparso ore, adunco naso » (1).

Adelphos lascivientes vere Terentianos adolescentes item agnoveris. Alter nomine Ctesipho, a patre parcissimo et durissimo ruri eductus, tristem disciplinam furtim transgreditur et psaltriam cupere audet; quantis autem curis turbatur ne resciscat pater quam protervus sit! Negat leno psaltriam inopi; non hoc quidem novum, multique alii amatores, in easdem angustias adducti, plurima conando tandem suo voto potiti sunt. Ctesipho timidior, metu patris simul ac misero amore impulsus, exsilium meditatur, nec sicut in *Mercatore* Charinus se jamjam profecturum esse diu clamitat; imo parum abfuit quin ipse frater Æschinus tam grave consilium ignoraret, et egenti serius auxilium afferret. Quid igitur Ctesiphonem prohibuit quominus huic minime censoriam gravitatem profitenti suos sensus aperiret? nempe pudor (2).

Tanta timiditas non ignavum ingenium arguit,

(1) *Heaut.*, V, 5
(2) *Ad.*, II, 4.

sed natura verecundum et disciplina asperiore informatum. Chærea in *Eunucho*, primo amore commotus, nihil non audet; Ctesipho, item affectus, nihil non desperat; ambo naturam, etsi diversam in utroque, sequuntur. Pudicum animum vel invitus Ctesipho servat, nec parum grata nobis occurrit ejus inexperta pravitas se fratre pejorem existimantis quod in mala via medius hæreat. Ut in illo virtutes eximias, quibus indiget ipse, miratur! Ut illum primarum artium principem salutat! quippe qui sciat suo fratri opitulaturus in ædes alienas irruere, virginem rapere, lenonem plagis conficere. Ut vero se contemnit, qui sibimet ipsi succurrere non valeat! Etenim ubi primum patrem adventare discit, pericula quæque imminentia bene prævidet, rationes autem sese expediendi male dispicit, atque nihil omnino doli, vel Syro stimulante et quasi viam monstrante, excogitare potest.

Ctesipho. — Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio
Rogitabit me, ubi fuerim : « Ego hoc te toto non vidi die. »
Quid dicam?
Syrus. — Nilne in mentemst ?
Ct. — Numquam quicquam.
Sy. — Tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes nemost vobis ?
Ct. — Sunt : quid postea ?
Syrus. — Hisce opera ut data sit.
Ct. — Quæ non data sit ? non potest fieri.
Syr. — Potest.
Ct. — Interdiu : sed si hic pernocto, causæ quid dicam, Syre ?
Syr. — Vah ! quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.

Vota tantum faciendo suo patri imminenti insidiatur, atque etiam in votis non omnem pietatem exuit :

CT. — Ain patrem hinc abisse rus.
SYR. — Jam dudum.
CT. — Dic sodes.
SYR. — Apud villamst :
Nunc quom maxume operis aliquid facere credo.
CT. — Utinam quidem :
Quod cum salute ejus fiat, ita se defetigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere (1).

Anxium et impeditum amatorem, non autem stolide gementem et lacrimantem, leviter et quasi benigne Terentius irridet, ut decet irrideri adolescentem potius ob honestam quam ob ineptam naturam fraudis inveniendæ imperitum.

Æschini quidem lascivius et audacius ingenium, patris adoptivi lenitate etiam excitatum, in magnam licentiam effusum est.

Quam hic non amavit meretricem ? aut quoi non dedit
Aliquid (2) ?

ipse Micio ait, quanquam ejus præterita facta facili animo recenset. Quæ facinora ausus fuerit, alii quidem, non sibi, profuturus, Ctesiphonis gratia et admiratio satis nos docuerunt. Hic tamen effrenatus adolescens aliquid verecundiæ atque etiam bonitatis retinet, et animo revera melior est quam fama perhibetur. Qui nuper lenonis ædes perfringebat, lenonem minis

(1) *Ad.*, IV, 1.
(2) *Ad.*, I, 2.

et ictibus onerabat, eumdem deprehendere est ad inopis domus fores accedentem, et eas tremula manu pulsantem. Quid igitur acturus huc furtim introit? virginem scilicet pauperculam cum vetere matre habitantem solaturus et firmaturus, cujus spes est unica, unicum auxilium. Hanc adhuc pudicam, decem abhinc mensibus, vino, nocte, adolescentia pulsus vitiavit, sed culpam vix admissam, quantum fuit in ipso, redemit. Audi matrem puellæ, Sostratam, quid de illo famoso ganeone narret, quum falso rumore decepta, Æschinum psaltriæ amore corruptum esse credit et lamentatur :

> Me miseram! Quid jam credas? aut quoi credas? nostrumne [Æschinum?
> Nostram omnium vitam, in quo nostræ spes opesque omnes sitæ?
> Qui sine hac jurabat se unum numquam victurum diem?
> Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris?
> Ita obsecraturum, ut liceret hanc se uxorem ducere (1)?

Hos novos mores suasit cæca cupido in vividum amorem versa; hæc promissa ad effectum cupiens adducere, patrem adoptivum tentavit, non plura ausus præ pudore, atque eodem tempore quo tam vehementer a Sostrata inconstantiæ accusatur, potius quam amicam de sua fide addubitare patiatur, eam invisit, cui dilectissimi fratris operta facta, discruciato animo, invitus et renitens, patefaciat. Ubi vero Micionem Sostratæ domo egredientem subito adspicit, quum eum rem omnem novisse nesciat, jam intraturus subsistit, interrogatusque quid negotii hic habeat, negat se fores pepulisse. Postquam malus pudor mendacium subjecit, bonus

(1) *Ad.*, III, 2.

genas rubore statim suffundit. « Erubuit : salva res est », Micio secum ait, et miserum amatorem falsa narratione libenter deludit, qua eum castiget quod benigniori patruo omnia credere noluerit; fingit enim se ab amico advocatum huc intravisse, hunc autem amicum virgini genere proximum, ut eam secundum legem duceret, e Mileto venisse, et in patriam secum vix ductam avecturum esse. Unumquodque verbum a Micione emissum Æschini animum pungit et lacerat, nec jam hic potest abstinere quin sive inutilia interrogando, sive exclamando, sive etiam pæne deficiendo, laborantem et dolentem amorem invitus significet; quo quasi occæcatus, mox in laqueos omnino se induit, tantaque acerbitate Milesium cognatum maledictis onerat, cujus solum scelus est legibus parere, tanta vehementia prioris cum quo puella consuevit adolescentis futurum angorem depingit et miseratur, ut plus quam patroni munia implere et pro domo sua dicere videatur.

Æsch. — Factum a vobis duriter
Inmisericorditerque atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, inliberaliter.

Micio. — Quamobrem?

Æsch. — Rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui cum ea consuevit (1) prior?
Qui infelix hauscio an illam misere nunc amat,
Quom hanc sibi videbit præsens præsentem eripi,
Abduci ab oculis? Facinus indignum, pater.

Micio. — Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Quoi quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Quor duxit alienam?

(1) Sic Bentley. Fleckeisen scribit : *Qui illa consuevit*, quæ verborum consecutio ab usu abhorret.

Æsch. — An sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc
Illinc veniret expectantem ? hæc, mi pater,
Te dicere æquom fuit et id defendere.

Micione vanum argumentum irridente, et quasi recedat assimulante, frangitur Æschinus et rem sermone anxio et concitato jam proditam nunc tacitis lacrimis manifestius confitetur. Tanto dolore victus Micio breviter eum reprehendit, nec ultra modum severus puellam desperatam ei matrimonio junctum iri promittit; quo promisso turbatus simul ac delectatus adolescens ardorem amoris, ut nuper acerbissimo mœrore, nunc sincera lætitia declarat; timet enim ne sit incautus ad credendum, neu rursus a patruo deludatur, eumque identidem interrogat, quo certior de sua tanta felicitate efficiatur :

Æsch. — Pater,
Obsecro, num ludis tu nunc me ?
Mic. — Ego te ? quamobrem ?
Æsch. — Nescio :
Quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.
Mic. — Abi domum ac deos comprecare, ut uxorem arcessas : abi.
Æsch. — Quid ? Jam uxorem ?
Mic. — Jam (1).
Æsch. — Jam ?
Mic. — Jam quantum potest...

Nihil non optimum sentit Æschinus sui voti tandem factus compos, et eodem amore Micionem quam Pam-

(1) Scripturam Bentleianam, Donati testimonio innixus, hic prætuli : *jam*, non *eam*.

philam amplexus, benigno patruo grates ex animo refert verbis suavissimo lepore perfusis :

Æsch. — Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te quam oculos nunc ego amo meos.
Mic. — Quid ? quam illam ?
Æsch. — Æque.
Mic. — Perbenigne.
Æsch. — Quid ? ille ubist Milesius?
Mic. — Abiit, periit, navem ascendit ; sed quor cessas ?
Aesch. — Abi, pater :
Tu potius deos comprecare : nam tibi eos certo scio,
Quo (1) vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis (2).

Quo liquidius hujus loci jucunditatem, quanta sit, intelligas, vividos et ingenuos Æschini sensus cum insulsa et scurrili Pleusidippi in *Rudente* lætitia confer, postquam hic a servo Trachalione didicit amatam a se Palæstram parentes amissos reperisse, et sibi uxorem datum iri :

Pl. — Iterum mi istæc omnia itera, mi anime, mi Trachalio,
Mi liberte, mi patrone, immo potius mi pater.
Repperit patrem Palæstra suum atque matrem?
Tr. — Repperit.
Pl. — Et popularis est?
Tr. — Opinor.
Pl. — Et mihi nupturast ?
Tr. — Suspicor.
Pl. — Censen, hodie despondebit eam mihi, quæso ?
Tr. — Censeo.

(1) Fleckeisen scribit *quom ;* Bentley, *quo*, secundum omnes codices.
(2) *Ad.*, IV, 5.

PL. — Quid? patri etiam gratulabor quom illam invenit?

TR. — Censeo.

PL. — Quid? matri ejus?

TR. — Censeo.

PL. — Quid ergo censes?

TR. — Quod rogas,

Censeo.

PL. — Dic ergo, quanti censes?

TR. — Egone? Censeo.

PL. — At sume quidem; ne censionem semper facias.

TR. — Censeo.

PL. — Quid, si curram?

TR. — Censeo

PL. — An sic potius placide?

TR. — Censeo.

PL. — Etiamne eam adveniens salutem?

TR. — Censeo.

PL. — Etiamne patrem?

TR. — Censeo.

PL. — Post ejus matrem?

TR. — Censeo.

PL. — Quid postea?

Etiamne adveniens conplectar ejus patrem?

TR. — Non censeo.

PL. — Quid matrem?

TR. — Non censeo.

PL. — Quid eampse illam?

TR. — Non censeo.

PL. — Perii! dilectum dimisit: nunc non censet, quom volo (1).

Nulla Plauti fabula adolescentis recenti matrimonio devincti mores depingit; nulla, præter Hecyram, Terentii. Dinarchus quidem in *Truculento* puellam,

(1) *Rudens*, IV, 8.

quam vitiaverat, uxorem habere coactus, ita Phronesium, suam amicam, valere jubet, ut in breve tempus ab ea discedere videatur, sed quid revera evenerit potius conjicis quam compertum habes. Plura de Pamphilo Parmeno servus et res ipsa nos in *Hecyra* docent. Pamphilus a patre jussus puellam ducere quam nesciebat a se ebrio quadam nocte violatam fuisse, tandem ei paruerat, invitus quidem, sed sperans fore ut nuptias tolerare posset; quum vero suæ patientiæ nimis confisus fuisset, solitum cum amica commercium minime interrupit. Vide tamen ut in magna culpa non omnis nec ad longum tempus perierit pudor, et Terentii ingenium pravos mores aliqua superstite aut renascenti verecundia corrigat. Prima nocte, uxore omnino abstinuit : eum audi cur ita se continenter gesserit rationes dantem :

> ... Quam decrerim me non posse diutius
> Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
> Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,
> Neque honestum mihi neque utile ipsi virginist (1).

Cetera rectam naturam apertius declarant. Mox enim Bacchide mutata et erga amatorem jam non cælibem se procacius gerente, uxore contra Philumena, quamvis neglecta, se pudicam, modestam, et liberali ingenio præditam præbente, Pamphili animus e meretrice ad uxorem commigrat, et verum affectum, non lascivam libidinem, jam sequi se testatur, officium cum amore conjunctum libentissime colens; ad Bacchidem hactenus se erravisse sentit, et animum sui similem nactus

(1) *Hecyra*, I, 2.

diligit atque amplectitur. Multas deinde ærumnas novo et recto amore secum afferente, benignam et egregiam mentem nihilominus ostendit, omnis officii diligentissimam. Rediens enim e peregrinatione, comperta quæ inter matrem et uxorem exorta erat discordia, hæc emittit filio simul et marito optimo dignissima :

Tum matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inventurum arbitror :
Quod quom ita esse invenero, quid restat nisi porro ut fiam miser?

Mox in domo trepidari et clamari sentiens carissimæ uxori timet fremitque, et introrsum irruit exclamando :

Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam adfectam ?
Nam si periclum ullum in te inest, perisse me una haud dubiumst (1).

Parturientem, o rem indignam, deprehendit, septimo post nuptias mense, quamvis eam primis duobus mensibus non attigerit ; qua quidem e gravissima injuria (tantam admirare animi misericordiam !) plus etiam doloris quam iræ concipit, et quamvis non sine acerbitate contendat suis amoribus haud semel deceptis ad istiusmodi discidium se exercitatum esse, minus ab uxore discedere quam revera divelli videtur.

Suscepto, quod dignitas suadet, consilio, multum tamen dat amori et miserationi, quum socrus precibus cedens, uxorem ficta causa amovet, ejusque culpam pertinaciter tacet. Nec matris dolor usque ad lacrimas effusus, nec patris ira et falsa criminatio secretum interius pressum elicere valent ; se mavult malæ cum

(1) *Hecyra*, III, 1.

Bacchide consuetudinis incusari quam fidem datam fallere et uxoris famam ludibrio tradere. Ita misere impeditum expedit ipsa Bacchis, quæ non modo eum ab iniqua suspicione vindicat, sed etiam certa ei præbet indicia quibus compertum habeat suam uxorem non aliam esse quam virginem olim a se vitiatam, et sibi puerum justiore quam putabat tempore natum esse. Allatum tam opportune auxilium meretrici certe laudi est, sed et ipsi Pamphilo : quippe cujus venustum ingenium amica senserit, atque etiam deserta tam grato animo meminerit, ut eum adjuvandi quam primam occasionem arripuerit. Ita vehemens ejus erga Pamphilum studium est, ut pæne timeamus ne servatus adolescens bellæ servatrici nimiam gratiam referat, nisi Terentii ingenium circa res periculosas soleat impune ludere et viis lubricis rectum insistere. Ambo quidem mutua et vivida gratulatione utuntur, sed ubi adolescens Bacchidem sibi blandiora respondere ridens miratur, illa, omissa subito Pamphili laude, ad laudem uxoris dextere deflectit, et ita significat se jam non æmulæ partes tenere :

BAC. — Salve, Pamphile.

PAMP. — O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea.

BAC. — Bene factum et volup est.

PAMP. — Factis ut credam facis,
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Uti voluptati obitus, sermo tuos, quo quomque adveneris,
Semper sit.

BAC. — Ac tu ecastor morem antiquom atque ingenium obtines,
Ut unus omnium homo te vivat numquam quisquam blandior.

PAMP. — Hahahæ, tun mi istuc ?

BAC. — Recte amasti, Pamphile, uxorem tuam :
Nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, [videram :
Perliberalis visast.

PAMP. — Dic verum.

BAC. — Ita me di ament, Pamphile (1).

Laudem a bono judice datam Pamphilus libenter accipit, nec jam alia blandimenta cupiens hoc solummodo curat ut rem, nulli nisi sibi et socrui suæ commissam, omnino reticeat. Quamvis enim pueri nati se patrem esse certior factus sit, et uxoris famæ et existimationi suæ consulens, præterita facta silentio operienda esse judicat, et præmaturum ex inhonesta vi partum honesta matrimonii specie obtegendum. Hunc exitum habuit Pamphili libido, brevissima quidem, et virtutibus, quas idem maritus exhibuit, cumulate redempta.

Tales sunt adolescentes qui maxima apud Terentium licentia abutuntur ; a pessimorum amoribus disce quales sint ceterorum amores. Quibus quidem mira venustas inest, et ei, qui tantum Plautum evolvit, suavitas inaudita ; nihil enim jam meretricium redolent, et eam delectationem habent quæ magis animo quam sensibus percipiatur. Quæ movet hos bonos adolescentes pulchritudo, non munditiis, fuco et ceteris lenociniis se commendat, sed simplicitate, egestate atque etiam dolore et lacrimis ; ejusmodi illecebris semel tacti in perpetuum tenentur.

Dum Antipho in *Phormione* cum Phædria, patruele

(1) *Hec.*, V, 4.

suo, apud tonsorem sedet otiosus, adolescens intervenit aliena calamitate nuper visa commotus et lacrimans; rogantibus lacrimarum causam hæc narrat :

> Numquam æque, inquit, ac modo
> Paupertas mihi onus visumst et miserum et grave.
> Modo quandam vidi virginem hic viciniæ
> Miseram, suam matrem lamentari mortuam :
> Ea sita erat exadvorsum, neque illi benivolens
> Neque notus neque cognatus extra unam aniculam
> Quisquam aderat, qui adjutaret funus. Miseritumst.
> Virgo ipsa facie egregia.

Vide qua diligenti arte naturam poeta sequatur, et quam apte narrationem concludat his verbis in ore adolescentis adolescentes alloquentis mire decentibus : « Virgo ipsa facie egregia. » Idem sequentibus inest veritatis color : « Voltisne eamus visere » primus Antipho exclamat, et surgit jam iturus; quippe qui (nihil enim inconsultum Terentius scribit) futurus sit desertæ virginis amator. Nosce quibus illa insidiis benignum animum subito illaqueaverit :

> Imus, venimus,
> Videmus : virgo pulchra : et quo magis diceres,
> Nil aderat adjumenti ad pulchritudinem :
> Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
> Lacrumæ, vestitus turpis : ut, ni vis boni
> In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
> Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo
> « Satis, inquit, scitast : » noster vero...
> DAVUS.— Jam scio :
> Amare cœpit (1).

(1) *Phormio*, I, 2. — *Molière* hunc locum facete amplificans non Terentianam brevitatem superavit. (Vide *les Fourberies de Scapin*, I, 2.)

Phanium civem atticam esse ubi audit, nec posse nisi in matrimonio haberi, quamvis alia suadeant timidum ingenium et patris absentis metus, potiora habet parasiti Phormionis consilia, et ejus dolis adjutus eo audaciæ venit ut puellam indotatam uxorem ducat. Tum demum eum facti pœnitet, quum patrem jamjam adventurum esse accipit, non quod suum amorem satiatus respuat, sed quod consuetudinem cum Phanio factam sibi gratiorem esse sentiat quam ut eam valeat dirimere. Quum se tantis in difficultatibus animo deficere sentiat, uxorem et suam vitam Phædriæ et Getæ pæne exanimatus commendat, fugitque mox reversurus, et suam fugam desertamque Phanii causam sibi vehementer objecturus :

Enim vero, Antipho, multimodis cum istoc animo es vituperandus :
Itane te hinc abisse, et vitam tuam tutandam aliis dedisse !
Alios tuam rem credidisti magis quam tete animum advorsuros ?
Nam ut ut erant alia, illi certe quæ nunc tibi domist consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta poteretur mali :
Quojus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno omnes sitæ (1).

Timidi adolescentis ardentes affectus et mollia consilia Terentius leviter attingit, non autem acriter carpit Plauti instar Calidorum irridentis, et eum vivide sentientem, remissius agentem ita depingit, ut studio nostro potius commendet quam ludibrio habeat. Nec minus Antiphonis candidæ et humanorum ingeniorum ignaræ menti favemus, quum Phædriæ lenonem orantis ne fidicinam emptam statim vendat causam amplexus, hoc

(1) *Ph.*, III, 1.

novum argumenti genus invenit, quo cupidum et ferreum hominem commoveat :

> Pamphilamne hac urbe privari sines ?
> Tum præterea horunc amorem distrahi poterin pati (1) ?

Non alios amores Clinia in *Heautontimorumeno* fovet quam in *Phormione* Antipho, dum castam et pauperculam virginem procaci et lautæ meretrici anteponit. Quum ne levem quidem culpam pater rigidior pateretur, sed quotidie reprehenderet, pudore victus, in Asiam militatum abiit; inde post tres menses exactos rediens, animum, ut antea, ægrotum refert. Charinus in *Mercatore* suam quoque amicam, ut patrem iratum placaret, deseruerat; uantum autem alter ab altero discrepet, animadverte. mbo adolescentes domum redeuntes semper amant, sed amdem alter, alter aliam. Incredibile enim est quam ile Charinus cœlum et cogitationes mutet, et hi- i cœna recreatus, priorem amorem amore novo ellat (2). Clinia contra vel exul et miser nunquam iphilam in sinu gestare destitit, nec alia cura laboit nisi ne animus amicæ mutatus jam non suo ponderet. Pudicam, simplicem, paupertatis patientem it, et quibus virtutibus ornatam amavit, iis desti-

(1) ., III, 2.

(2)
> Dum in portu illi ambulo,
> ospes me quidam adgnovit; ad cenam vocat.
> nio, decumbo, acceptus hilare atque ampliter.
> cubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
> lier, qua mulier alia nullast pulcrior :
> a nocte mecum illa hospitis jussu fuit.
> Vosmet videte, quam mihi valde placuerit :
> Postridie hospitem adeo, oro ut vendat mihi.
> (*Mercator*, I, 1.)

tutam amare jam non sustineat. Quum de illa dici intelligat quæ Syrus de quadam opulenta et corrupta meretrice loquitur, subito dolore percitus, amicam, quam infidelem sibi fingit, absentem compellat, atque pro tantis laboribus toleratis, pro infamia ob suam erga patrem contumaciam suscepta, talem gratiam sibi referri verbis miserandis queritur :

O Juppiter, ubinamst fides ?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletasti te, Antiphila, et me in his deseruisti malis,
Propter quam in summa infamia sum et meo patri minus sum ob-
[sequens,
Quojus nunc pudet me et miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra, neque eum potuisse umquam ab hac me aspellere.
Quod tamen nunc faciam : tum, quom gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemost miserior me.

Herum falso timore laborantem Syrus certo testimonio recreare festinat; Antiphilam enim inexspectatus invisit, et ejus vitam et virtutes quasi deprehensas hac suavissima pictura describit :

Jam primum omnium,
Ubi ventum ad ædis est, Dromo pultat foris :
Anus quædam prodit : hæc ubi aperuit ostium,
Continuo hic se conjecit intro, ego consequor :
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hic sciri potuit aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio vitam suam te absente exegerit,
Ubi de inprovisost interventum mulieri :
Nam ea res dedit tum existumandi copiam
Cotidianæ vitæ consuetudinem,
Quæ quojusque ingenium ut sit declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
(Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua)

Sine auro : tum ornatam ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla mala re [esse] (1) expolitam muliebri :
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus neglegenter...

Quibus verbis, qua bene nota imagine commotus Clinia narrantem interrumpit, tanquam suam Antiphilam vere nunc reperiat, et in discrimine sit eam vix repertam rursus amittendi :

Syre mi, obsecro,
Ne me in lætitiam frustra conicias (2).

Acrius cupit noscere quid erga se Antiphila sentiat, quid, audito amatoris reditu, locuta fuerit, atque optima puella telam deserente et in lacrimas effusa quasi fruens, amorem nuper anxium et vexatum exquisita voluptate recreat.

Interea ad eum Antiphila properat, quantum sinit ab ancillarum aurum et vestem portantium grege impedita Clitiphonis amica, cui comes adjuncta fuit ; ambæ colloquuntur, Cliniam prope esse ignorantes ; illa mores hujus tam fidæ puellæ admiratur, suos excusat ; hæc, quid aliæ faciant incuriosa, totum animum haud multis verbis patefacit :

Nescio alias : me quidem semper scio fecisse sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum.

Excipit accedentis sermonem Clinia, nec auditis indigna refert :

Ergo, mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis :
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Præterquam tui carendum quod erat.

(1) Quum *esse* nullum hic locum habeat, Bentley hunc versum ita emendat, duobus versibus Plautinis nisus : « Nulla mala re interpolatam muliebri. »
(2) *Heaut.*, II, 3.

Quo minus exspectata, eo gratior suavitas inest animorum et verborum quasi fortuitæ consensioni; idem in mutua salutatione lepos, eadem brevitas vere amatoria. Non ut apud Plautum istiusmodi blanditias audis: « O mel meum, o rosa », sed pauca verba gestu, vocis inflexu, ac vultus intentione vividiora facta, et magnum amorem significantia potius quam expromentia :

BACCHIS. — Quisnam hic adulescens est, qui intuitur nos?
ANTIPH. — Ah, retine me, obsecro.
BAC. — Amabo, quid tibist?
ANT. — Disperii, perii misera.
BAC. — Quid stupes?
CLINIA. — Antiphila.
ANT. — Videon Cliniam an non?
BA. — Quem vides?
CL. — Salve, anime mi.
ANT. — O mi Clinia, salve.
CLINIA. — Ut vales?
ANTIPH. — Salvom venisse gaudeo.
CL. — Teneone te,
Antiphila, maxume animo exoptatam meo (1)?

Antiphila cive agnita, et Menedemo tandem nuptiis assentiente, vide ut Cliniæ gaudium, quamvis immodicum, ab insania distet, ut hic desipiat amabiliter, dum Syrum alia narrantem minime audit, secum ipse loquitur, et, ceteris rebus omissis, suam fortunam insperatam unice jactat :

SYRUS... — Sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim :
Nam amici quoque res est videnda in tuto ut conlocetur,
Ne quid de amica nunc senex...

(1) *Heaut.*, II, 4.

Cl. — O Juppiter!
Syr. — Quiesce.
Cl. — Antiphila mea nubet mihi!
Syr. — Sicin mihi interloquere?
Cl. — Quid faciam? Syre mi, gaudeo : fer me.
Syr. — Fero hercle vero.
Cl. — Deorum vitam apti sumus.
Syr. — Frustra operam, opinor, sumo.
Cl. — Loquere, audio.
Syr. — At jam hoc non agis.
Cl. — Agam.

Hanc quoque vocem attende in effusa lætitia sonantem, vere boni et egregii animi signum :

Atque ita me di ament, ut ego nunc non tam meapte causa
Lætor quam illius: quam ego scio esse honore quovis dignam (1).

Hos inter optimos a Terentio descriptos adolescentes, nullus Pamphilum venustate superat, nullus est animi amantioris atque humanioris. Apud Chrysidem, ex Andro ad Athenas advenam, olim mulierem honestam, mox ad faciles amores paupertate proclivem, et postremo ad quæstum delapsam, virginem invenit, quæ vulgo Chrysidis soror habetur, animo et forma liberali commendatam, et propter ingeniorum congruentiam statim amavit. Quos eximios amores, quum sedulo caveat ne vulgentur, clam omnibus, excepta Chryside, fovet, nec quidquam vel attento patri primum subolet. Rumor quotidianus fert Cliniam aut Phædrum aut Niceratum vicissim Chrysidem habuisse, nulla autem fit Pamphili et Glycerii mentio, mutuo et tacito fruentium amore. Audi patrem narrantem

(1) *Heaut.*, IV, 3.

quomodo, Chryside mortua, rem noverit, et amores, honesto pudore nuper latentes, nunc ardore immoderato proditos deprehenderit. Optimus enim Simo, quum suum filium solummodo ob Chrysidis mortem dolere crederet et tam humanum ingenium laudaret, voluit ipse in funus prodire :

Ecfertur. Imus. Interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adulescentulam,
Forma...

SOSIA. — Bona fortasse.

SIMO. — Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.
Quæ quom mihi lamentari præter ceteras
Visast, et quia erat forma præter ceteras
Honesta ac liberali, accedo ad pedisequas,
Quæ sit rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit ilico animum. Attat hoc illud est,
Hinc illæ lacrumæ, hæc illast misericordia.

SOSIA. — Quam timeo quorsum evadas!

SIM. — Funus interim
Procedit; sequimur. Ad sepulcrum venimus :
In ignem inpositast : fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flamman accessit inprudentius,
Satis cum periclo. Ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem et celatum indicat :
Adcurrit; mediam mulierem complectitur :
« Mea Glycerium », inquit, « quid agis? quor te is perditum? »
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter (1).

O suavem adolescentium imprudentiam nec turbæ circumfusæ nec patris adstantis recordantium, et occul-

(1) *Andria*, I, 1. Hanc longam Simonis narrationem, ut recte moratam et ad persuadendum maxime accommodatam, laudat Cicero : « Mores adolescentis ipsius, et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma, et lamentatio sororis, reliqua, pervarie jucundeque narrantur. » (*De oratore*, II, 80.)

tandum amorem amore nimio confitentium! In hac tantum Simonis narratione Glycerium cum Pamphilo ostenditur, sed tanta delectatione in amantis sinum reclinata depingitur, ut nunquam ex animo nostro possit excidere. Non talibus imaginibus gaudet Plauti ingenium, atque etiam ubi mutuum nec nimis petulantem amorem describit, non se tenet quin aliquid turbidi et intemperantis huic amori immisceat. Dum Phædromus Planesium amplectitur, custos Palinurus exclamat :

> Pariter hos perire amando video : uterque insaniunt.
> Viden ut misere moliuntur ! nequeunt conplecti satis.
> Etiam dispertimini (1) ?

Quanto magis nos movet Pamphili amor, miseratione increscens, et, ut ita dicam, madens lacrimis! Quod genus amoris in Clinia jam delineatum, in Pamphilo perfectum apparet. Hunc enim, quem primum allexerunt Glycerii pulchritudo et boni mores, retinent et vinciunt amatæ virginis paupertas, solitudo, atque in primis timor ne puella deserta et egens in pejus mutetur. Simone jubente ut virginem dotatam statim uxorem ducat, miserum adolescentem, patris magis amore quam metu dubitantem ac pæne labantem, aliquot Mysis verba de Glycerio parturiente et simul ne destituatur vehementer extimescente subito firmant atque a jussis nuptiis procul removent :

> Egon propter me illam decipi miseram sinam,
> Quæ mihi suom animum atque omnem vitam credidit,
> Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim ?

(1) *Curculio*, I, 3.

Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam
Coactum egestate ingenium inmutarier?
Non faciam.

MYSIS. — Haud verear, si in te sit solo situm;
Sed ut vim queas ferre.

PAMP. — Adeon me ignavom putas,
Adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat ut servem fidem?

Quo timidioribus precibus Mysis utitur, eo magis affectum et animos Pamphili accendit:

MYSIS. — Unum hoc scio, esse meritam ut memor esses sui.

PAMP. — Memor essem? O Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. Jam ferme moriens me vocat:
Accessi; vos semotæ; nos soli; incipit:
« Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:
Nec clam te est, quam illi utræque res nunc utiles
Et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.
Quod ego per hanc te dextram oro et genium tuom,
Per tuam fidem, perque hujus solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive hæc te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus,
Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem:
Bona nostra hæc tibi permitto et tuæ mando fide. »
Hanc mi in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam servabo (1).

Non jam hic vana dici sentis nec lascivam ætatem ludere; ultima Chrysidis moriture verba, in animum misericordem et generosum recepta, Pamphilum cum Glycerio

(1) *Andr.*, I, 5. Hæc referens Fenelo scribit: « Voici un récit où la passion parle toute seule. » (*Lettre à l'Académie française*, VII.)

conjunxerunt et idem, nuper adolescentulus, nunc quasi vir factus, suos amores fortiter tuetur, ut qui minus suæ voluptatis cupidus sit quam officii tenax. Amoribus deinde multo periculo circumventis et laborantibus, atque simul crescente Glycerii timore, fidem datam concitatiore animo confirmat :

Mysis,
Per omnis tibi adjuro deos, numquam eam me deserturum,
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnis homines.
Hanc mi expetivi ; contigit : conveniunt mores : valeant
Qui inter nos discidium volunt : hanc nisi mors mi adimet nemo (1).

Dum hæc vera mente promittebat, non satis sibi conscius erat quantum erga patrem caritas apud se valeret ; cujus optimi patris dolor in tristes querelas effusus Pamphili sententiam obstinatam ita movet et labefactat, ut amator se vinci tandem exclamet, dignus quidem nostro studio quum se Glycerio dederet, dignior etiam quum amicam invitus dilectissimo patri condonat :

Ego me amare hanc fateor : si id peccarest, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo. Quidvis oneris inpone, inpera.
Vis me uxorem ducere ? hanc vis mittere ? ut potero, feram (2).

Nullus profecto apud Terentium amator æque dignus est cui deus ex machina, nempe Crito senex ex Andro adveniens, opituletur et opportune nuntiet Glycerium bono genere ortam esse, ita ut lenissimum patrem et gratissimam amicam, salvo officio, simul amare possit.

Adde quod Pamphilus non tantum amoris constantia

(1) *Andr.*, IV, 2.
(2) *Andr.*, V, 3.

se commendat; habet animum apertum, alacrem, atque etiam, occasione data, lepidum; non semper in lacrimas effunditur; jocis quoque, quos suadet bona ætas, utitur, sed venustis et tempestivis, sive in nuptias se a patre conjici sic queritur :

Præteriens modo
Mi apud forum : « uxor tibi ducendast, Pamphile, hodie », inquit, [« para :
Abi domum. » Id mihi visust dicere : « Abi cito ac suspende te »;

sive sibi oblatam vel potius impositam uxorem aliquot verbis depingit :

Aliquid monstri alunt. Ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me (1).

Quæ facetiæ eo gratiores quo verisimiliores videntur, nec eas tantum toleras, sed, si absint, desideres.

III

Causas me quæsiturum cur tantum inter se differant Plautini et Terentiani adolescentes hoc primum impedit quod ambo poetæ in latinum fabulas græcas vertunt? Num petendum altius rei demonstrandæ initium, et græci scriptores, non eorum latini interpretes, inter se comparandi sunt? At quomodo fabulas compares quarum pauci versus, aut soli tituli, aut etiam ne tituli quidem supersunt? Num quia diversos poetas Plautus et Terentius sæpe imitantur (2), dissimiles sunt moribus

(1) *Andr.*, I, 5.
(2) Quod ad Plautinas fabulas attinet in quibus adolescentium amatorum mores inspeximus, aut certum aut probabile habetur tres a Menandro trans-

amatores ab utroque depicti? fac ita esse, hoc etiam tum quærendum sit cur alter hos, illos alter imitandos elegerit. Quid vero? quum eumdem poetam, nempe Menandrum, uterque sequitur, ut fit in *Bacchidibus* et in *Andria*, num minus dispares amatores inducunt? num, exempli gratia, Pistoclerus aliquid refert pudoris in Pamphilo eminentis? num ullus Terentianus amator, in qualibet fabula a Menandro translata, ita unquam desipit ut assequatur stultitiam Alcesimarchi, quem Plautinum amatorem e Menandro sumptum esse maxime probabile est (1)? Differunt, mea sententia, Plautini et Terentiani amatores, minus quia differunt græci scriptores, quos uterque interpretatur, quam quia differt in utroque interpretandi modus; diversum enim Plauti et Terentii ingenium, diversus, ad quem quisque tendit, finis, diversam interpretationem faciunt.

latas : *Bacchides*, *Cistellariam*, *Pœnulum;* totidem a Philemone : *Mercatorem*, *Mostellariam*, *Trinummum;* duas a Diphilo : *Asinariam* et *Rudentem*; unde apparet in his fabulis Plautum novæ comœdiæ scriptores secutum fuisse : ceteræ, nempe *Epidicus*, *Miles gloriosus*, *Pseudolus*, *Truculentus*, e quo fonte haustæ sint, nescitur (Vide Teuffel, *Geschichte der Rœm. Literatur*, 1875, p. 153). Terentius autem, qui sex fabulas scripsit, in nulla non novam comœdiam imitatur; duas ab Apollodoro Carystio transtulit : *Hecyram* et *Phormionem;* ceteras a Menandro, sed ea libertate usus, ut duas sæpius fabulas in unam miscuerit, quæ *contaminatio est*, scilicet *Andriam* et *Perinthiam*, *Eunuchum* et *Colacem*, atque etiam semel locum e Diphilo sumptum *Adelphis* inseruerit, ut ex ipsius testimonio patet :

> *Synapothnescontes* Diphili comœdiast :
> Eam *Commorientis* Plautus fecit fabulam.
> In Græca adulescens est, qui lenoni eripit
> Meretricem in prima fabula : eum Plautus locum
> Reliquit integrum. Eum hic locum sumpsit sibi
> In *Adelphos*, verbum de verbo expressum extulit.

(1) Nonnullos Menandri versus pæne ad verbum transtulit Plautus. Vide Meineke, *Fragmenta comicorum græcorum*, editio minor, II, p. 978. Berolini, 1847.

Ut ceteris Plautinis personis, sic adolescentibus ad veri similitudinem depingendis nocet ipsum Plauti ingenium, petulans, concitatum, usque ad vitium luxurians. Quum oporteat eos, secundum rectam artem, suam rem agere, verba sibi tantum convenientia loqui, sæpe subitus et improvisus interveniens poeta sermonem, quem habent, excipit, et suo arbitratu peragit; ea, quæ sentiunt, aut amplificat et longius circumducit, aut excutit, carpit, irridet, aut omnis generis facetiis turbat et exhilarat (1). Inde fit ut dissolutus amator sapientia inexspectata redundet, a spe destitutus jocos et ineptias effundat atque patiatur, iratus suam iram ipse cavilletur.

Sui ingenii lascivientis impetum Plautus nescio an sæpius cohibeat, nisi hanc insitam lasciviam stimulet atque augeat ipsa vulgo placendi necessitas : quæ quidem jam sponte currenti addit, ut ita dicam, calcaria. Quum præsertim e vulgo pendeat utrum « cadat, an recto stet fabula talo » (2), cavet poeta ne vulgi tædium moveat, ut qui velit suas fabulas inveterascere, aut saltem usque ad finem spectari. Alia autem probat auditor eruditus, alia ignarus. Postquam alterius bono judicio placitura Plautus scripsit, ea largitur, nec, ut dixi, invitus, vena favente, quibus alterius rusticitas delectetur, atque etiam, quoties expediat, doceatur. Inde ea nimia, indecora, inepta, proterva, omnia ad summam caveam spectantia.

(1) Vide Boissier : *Quomodo Græcos poetas Plautus transtulerit?* Parisiis, 1857 ; *Journal général de l'instruction publique*, mai 1859.

(2) Hor., *Ep.*, II, 1.

Dinarchum recte miraris de Phronesii pravitate copiosius disserere, ab eadem minime cavere; Astaphium ipsam mera, quæ narrat, mendacia sponte agnoscentem et irridentem increpas, nec immerito; quæ vero supervacua, indocta, arte destituta tibi videntur, plebis animos altius penetrant et vehementius admonent quum meretriciæ aviditatis, tum amatorum imbecillitatis. Eruditis spectatoribus delectationem magnam affert Selenium, dum vividis verbis suum amorem declarat, nec profecto minorem imperitis Alcesimarchus, dum concitato verborum flumine suos cruciatus enumerat, et deos invocans, totum Olympum miscet, ne memor quidem utrum Saturnus Junonis sit pater an patruus. Ita Plautus Menandrum et ceteros novæ comœdiæ scriptores imitatur, ut optimum exemplar modo fidus interpres exsequatur, eruditas aures delectaturus, modo corrumpat et adulteret, vulgi studia sibi conciliaturus. Nec aliam ob causam in *Mercatore*, fabula a Philemone translata, Charinus, erepta, quam amat, puella, nunc vero dolore laborat, nunc suum ipse dolorem per ludum amplificat, aut subita amentia turbatur, non ea quæ miseros amatores deceat, sed ea quæ egeat auxilio medici et plebem in cachinnos solvat. Quam inconstantiam Horatius faceta verborum inversione in his versibus increpat :

Adspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi (1).

(1) *Ep.*, II, 1. Horatius paulo in Plautum severior, ut cui veterum scriptorum gloriam malevoli sæpius opponant, omnes Plautinos sales eodem fas-

Utinam saltem, quum ita luderet, jocos tantum intempestivos effudisset, nec protervos et obscenos! Hoc vero jocandi genus, quum suum ipsi ingenium, sua infima conditio, et assidua cum plebecula consuetudo uberius suppeditarent, quum majore risu vulgus exciperet, et ipsi senatores equitesque non omnes respuerent, non potuit Plautus non affatim adhibere. *Pseudoli* fabulam, istius modi salibus redundantem, M. Tullius commemorat, ut qua merito gauderet Plauti senectus (1). *Casina*, *Pseudolo* hac in re non impar, quum primum acta est, omnes fabulas vicit, et, sicut vinum, magis ac magis senescendo placuit. Parum abest ut Plautus in *Captivis* fabulam spectatoribus excuset omni subagitatione vacuam, nec sperat nimirum crebros plausus sibi datum iri, quum plaudere jubet eos tantum « qui pudicitiæ præmium esse velint ».

Paucis enim pudico ingenio præditis placebant amores venusta verecundia temperati; major autem spectantium numerus a comico scriptore poscebat lascivos, audaces, salibus obscenis feraces, quibus humana pravitas delectatur et hilaritas maxima movetur; vel inter optimos quosdam exstitisse existimaverim, qui morum quidem fœditatem respuerent, sermonis autem protervam elegantiam, et purissimam impuritatem mirarentur ac probarent. Temporibus magis excultis, virum urbanissimi ingenii, M. Tullium, duplex jocandi genus accurate distinguentem, « unum

tidio rejicere videtur, nec satis curat ab inurbanis lepidos seponere. (*Ep. ad Pisones*, v. 270 et sqq.)

(1) Cic. *Cat. de senectute*, IV, 14.

illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum (1) », sane crederes in Plauto, quem exempli gratia memorat, alterum genus laudare, alterum reprehendere. Minime quidem. Unum autem, nempe melius, Plauto attribuit, et Sarsinatem poetam eadem venia donat qua veteris græcæ comœdiæ scriptores. Quid vero? scriptores eosdem, quos Plautus in hoc profecto æmulatur, ipse Quintilianus confirmat vel in verbis parum verecundis sæpe laudari (2). Unde conjicere licet Plautini sermonis petulantiam, antiquæ comœdiæ propiorem quam novæ, pæne universis spectatoribus gratam occurrisse.

Alia causa est, et ea quidem laudabilior, qua Plautum ad amores corruptos effingendos impulsum esse crediderim. Ingenium ejus, quamvis adeo flexibile sit ut affectus vel suavissimos reddere queat, ita tamen in primis concitatum et aculeatum natura genitum est, ut ad satiram inclinare, et in vitiis quum inspiciendis, tum notandis, plurimum valere mihi videatur. Inde fit ut pessimas personas, parasitos nempe edacissimos, meretrices impurissimas et pecuniæ avidissimas, servos in omni flagitio exercitatos libentius inducat, quarum turpitudinem ostentare simul et carpere gestit. Nec tantum in isto personarum genere, sed et in ingenuis vitia potissimum attingit. Matronas, si paucas excipis mira venustate ornatas (3), durius tractat, et in eis nihil, præter pudicitiam, illæsum relinquit; nec enim

(1) *De officiis*, I, 29.
(2) *Institutio oratoria*, X, 1.
(3) Vide Benoist, *De personis muliebribus apud Plautum*. Massiliæ, 1862.

eas tantum superbas, sumptuosas depingit, sed et morosas, jurgiosas, oblatratrices, sexus et ætatis omnibus leporibus destitutas. Major etiam maritorum irrisio : quippe qui suas uxores palam reformident, clam lacerent et fallant, præposteris amoribus, cano capite, obsequantur, filiis amicas furentur vel ea conditione cedant ut eis vicissim fruantur, donec ab uxoribus in media culpa deprehensi, illusi, contumeliis onerati, domum inviti ac mussantes reducantur.

Qui parentes ita vexaverit, scriptorem eumdem facile intelligis natis haud magis pepercisse; eos enim et filios impios ostendit mortem patris nimis morantem increpantes, et amatores sive ridiculos, sive turpiter libidinosos. Quos lepores, quam venustatem habeant adolescentium amores describere minus curat, quam stultitiam, ignaviam, et omnis generis miserias eis insitas patefacere, asperisque jocis insectari. Eos etiam, quos verecundos et suaves adumbrare inceperat, mox acrioris ingenii impetu raptus, turpitudine inexspectata maculat, et fastidio dignos efficit. Quid vero? dicet aliquis, eumdem poetam, quem nuper lascivum et obscenum increpuisti, nunc censorem ad hoc aptissimum esse contendis ut adolescentes ab omni voluptate amoveat? Non ab omni quidem, facile fateor, sed ab ea insana et effrenata quæ dedecus et inopiam secum afferat. Per eum licet potare, amare, dum « modo fiat bono » (1). Qui sit hic bonus modus, quomodo servetur, rogas? nempe si amatores matronis abstineant, cum

(1) *Mercator*, V, 4.

scortis tantum consuescant (1), et his additis conditionibus ut res placida et otiosa sit, victi hostes (2); ut habeant quod dent (3), nec totum animum nec totam rem in domo lenonis relinquant, in ea denique ludant aliquantum temporis, non autem hæreant et frangantur (4). Plautus sine dubio multa fert et concedit; quædam autem ignava et turpia non respuere non potest, ut qui virili indole præditus sit, scilicet adolescentes sese meretricibus quasi prædam objicere et tradere, earum fastidia, contumelias, rapacitatem pati, et libidine occæcatos desipere et egere. Quibus hæc tanta turpitudo contingit, eos gaudet in scenam traducere, vexare, ludibrio habere, utile simul ac festivum spectantibus documentum. Suavissimus et noxa vacuus Phædromi amor nec sinit Plautum totam vim ingenii sui expromere, nec satis ostendit quam præceps, quam lubrica sit voluptatis insectatio. Vitandos infames scopulos jam vehementius et apertius

(1) *Curculio*, I, 1. Non alia est Catonis apud Horatium disciplina (*Sat.*, I, 2).

(2) Stratippoclis, cujus hostes ad arma transfugerunt, ignavos amores Plautus irridet, nec in hoc loco Stratippoclem tantum, sed etiam sua tempora, suam gentem notat :

EPIDICUS. — Edepol, facinus inprobum !
THESPRIO. — At jam antea alii fecerunt idem;
Erit illi illa res honori.
EPID. — Qui?
TH. — Quia antea aliis fuit. (*Epid.*, I, 1.)

Censuram, quam Plautus, nemine nominato, exercet, Naudet apte definit : « Forsan, quum *Epidicum* Plautus docuit, non longum tempus erat transvectum, ex quo legiones e campis Cannensibus vel aliunde, Annibale victore, refugerant. Et multi e plebe similia querebantur iis quæ milites coram Marcello, apud Liv. XXV, 6. At Plautus neminem, ut Naevius, nomine signabat, immo palliatum objiciebat derisui. Censura illi fuit periculo immunis. »

(3) *Truculentus*, I, 1.

(4) Conf. Hor., *Od.*, I, 8.

Trinummus indicat, cujus in prologo Luxuria suam filiam Inopiam in Lesbonici domum secum adducit (1). Quid ex hac Philemonis fabula poeta latinus transtulerit, quid neglexerit, in dubio manet; hoc vero compertum est Lesbonicum et Lysitelem verbis gravitatem romanam redolentibus Veneris impetum damnare, quo simul res et dignitas penitus evertantur, nec immerito dicere potuit vir judicio et doctrina præstantissimus Plautum in hoc loco pæne vim assequi Lucretii flagitiosam et damnosam amatorum intemperantiam depingentis (2). Quum vero gravissimi sermones præ rebus ipsis languere vehementissimo scriptori videantur, alios inducit adolescentes non tantum præteritorum peccatorum memoria, sed ipsa præsenti turpitudine, quo ducat insatiata libido, vividius ostendentes. In medio luto, e quo tandem Lesbonicus emergit, Pistoclerus et Dinarchus adhuc volutantur, ambo rei et famæ suæ inimici, vere *probi amatores* (3), ut verbis Plautinis utar, *probarum lenarum* bonis dentibus sese lacerandos objicientes. Tales amatores quum effingeret, Plautum suspicor, liberiore interpretatione, ut solet, utentem, jam non ad exemplaria græca, nec præsertim ad Menandreos adolescentes, insita verecundia temperatos, respexisse, sed ad vitam ipsam et ad illos sibi propiores, haud exiguam juventutis romanæ partem, voluptatum e Græcia et Asia devictis ad Urbem affluen-

(1) *Trinummi* prologus, paucis versibus exceptis, vere Plautinus habetur. Vide Dziatzko, *De prologis Plautinis et Terentianis quæstiones selectæ.* Bonnæ, 1864.)

(2) Patin, *Études sur la poésie latine*, II, p. 249.

(3) *Truculentus*, I, 2.

tium immodica cupidine accensos, et ipso flagrantis ætatis incultæque naturæ impetu in omnem libidinem se projicientes. Quod dicit de patribus filiorum vitia æmulantibus, dicere potuisset etiam de filiis ad luxuriam ruentibus :

Hi senes, nisi fuissent nihili jam inde ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium canis capitibus :
Neque adeo hæc faceremus, ni antehac vidissemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres (1).

Quos senes factos et intempestivis libidinibus indulgentes carpit, eosdem in prima juventa deliciis ita allectos et dissolutos ut virum et civem dedidicerint atque jam nihili sint, salibus magis romanis quam atticis illudit, hactenus morum corrector vel potius castigator, nec omnino indignus qui eadem ætate ac Cato vixerit.

Quum Plautus ingenio petulanti instinctus sæpius extra legem et naturam scribendo exspatiatur, Terentius contra semper moderatus, sui compos, et opus comicum agens, quid velit persona, quid tempus, quid locus, summo studio observat (2). Omnes apud eum personæ semper et ubique convenienter sibi agunt ac

(1) *Bacchides*, V, 2.

(2) Quum veteres definiunt quid cuique comico poetæ eximium insit, omnes in hac virtute apud Terentium laudanda consentiunt : « Ἤθη, ut ait Varro (*De latino sermone*, lib. V), nullis aliis servare convenit quam Titinio, Terentio, Attæ ; πάθη vero Trabea, inquit, et Atilius, et Cæcilius facile moverunt. » (Char., *Inst. gram.*, II, extrem.).— « In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus. » (Varro apud Nonium, v. *Poscere.*) — « Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte. » (Hor., *Epist.*, II, I, 59.)

loquuntur, ita ut hanc laudem merito obtineant, quam servus Geta lenoni et Phædriæ litigantibus tribuit :

Quam uterquest similis sui (1)!

Quibus verbis a Geta emissis ipse Terentius quasi sibi gratulari videtur quod tanta diligentia naturam et rectam artem observaverit, hac in re sine dubio vestigia secutus Menandri quem valde probat Quintilianus « omnibus rebus, personis, affectibus accommodatum (2). » Hæc est causa cur Terentiani amatores, quales ab incepto processerint, tales ad imum serventur, et sibi constent ; nihil eorum sermoni insit otiosum, nihil intempestivum, nihil absonum, nihil etiam immodicum et ad voluptatem ignavæ multitudinis accommodatum (3). Ubi Plautus insistit et moratur, rem leviter Terentius præstringit, et in eo potius

(1) *Phormio*, III, 2.

(2) *Inst. orat.*, X, 1. — Ita enim Terentius Menandrum imitatur ut etiam quum ab eo in ordinanda fabula discedit, ejus ingenium assequatur et colorem servet. (Vide Meineke, *Menandri et Philemonis reliquiæ*. Berolini, 1833. — Kœnighoff, *De ratione quam Terentius in fabulis græcis latine convertendis secutus est commentatio*. Coloniæ, 1843.) Quid sit veri simillimum diligentius etiam quam Menander, in *Eunucho*, curare videtur, invento Antiphone cui suam nimiam lætitiam Chærea narret (*Eun.*, III, 4). Adde quod in *Adelphis*, quum Terentius Micionem ostendit nuptiis ridendis refragantem, Donatus annotat : « Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur, ergo Terentius Εὑρητικῶς. » Bene adjecisset Donatus : καὶ πιθανῶς.

(3) Vide Diderot, *Réflexions sur Térence*, t. III. Paris, Brière, 1821. — La Fontaine hæc de *Eunucho* scribit : « La bienséance et la médiocrité, que Plaute ignorait, s'y rencontrent partout. Le parasite n'y est point goulu par delà la vraisemblance ; le soldat n'y est point fanfaron jusqu'à la folie ; les expressions y sont pures, les pensées délicates ; et pour comble de louange, la nature y instruit tous les personnages, et ne manque jamais de leur suggérer ce qu'ils ont à faire et à dire. » (*L'Eunuque, Avertissement au lecteur.*

quod desit quam quod redundet invenias. Tanta enim ingenii temperantia et quasi frugalitate eminet, ut Menandrum extenuare malit quam majorem in modum amplificare, atque etiam in desperatione amatorum describenda « dimidiatus Menander » esse videatur. Quem enim adolescentem Menander in *Adelphis* ostendit, negata a lenone amica, mori volentem, tantum fugere paratum inducit Terentius, tanquam caveat ne quid nimis agat vel ab omni spe derelictus amator (1). Quid ratio temporis postulet, quid ferat adolescentium cum servis colloquentium dignitas, nunquam obliviscentem deprehenderis : intempestivam in *Heautontimorumeno* Syri hilaritatem dolor Ctesiphonis a patre exheredati et expulsi non ultra verbum unum lascivire sinit :

CLIT. — Adeon rem rediisse, ut periclum etiam a fame mihi sit, Syre !
SYR. — Modo liceat vivere, est spes.
CLIT. — Quæ ?
SYR. — Nos esurituros satis.
CLIT. — Irrides in re tanta (2)...

Licet plebecula ad ea frigeat, et alia quum magis faceta, tum minus decora desideret, non is est Terentius qui peritis simul et imperitis placere studeat; contemptum vulgi ad pugiles et funambulos migrantis sibi adeundum potius quam a recta via discedendum putat,

(1) *Ad.* II, 4. « Menander mori illum voluisse fingit, Terentius fugere. » (Donatus.)
(2) *Heaut.*, V, 2.

et suas fabulas, integra arte, sine fructu cadere, quam, corrupta, cum magno lucro stare mavult (1).

Quum tantopere curet quid de suis operibus judicet non quivis unus e populo, sed intelligentes existimatores magis in diem litteris græcis eruditi, hoc potius sibi laudi quam vituperationi habet quod credatur a Lælio et Scipione in scribendo adjutari, nec opinionem et viris amplissimis et sibi gratam minuere nititur (2). Is enim est Terentianarum personarum sermo cujus brevitas ac lepos exquisito tantum ingenio inveniri possint, hominumque politissimorum auribus placere, et recte scripsit *Montaigne* secernens a Plauto Terentium : « Cettuy-cy sent bien mieulx son gentilhomme (3). » Ut adolescentes tantum exemplo assumam, audi quam venusta brevitate Chæreæ Thaidem extollenti Phædria, hujus meretricis amator, respondeat : « Mihi illam laudas (4)? » Item Charino roganti : « Hodie uxorem

(1) Cæcilius et ipse spectantium fastidia passus est (vide *Hecyr.*, prolog. II), sed non propter decorum religiosius servatum, ut conjici potest e mimicis facetiis quas in *Plocio* Menandreis versibus, ut Gellii verbo utar, inculcavit :

> Sed tua morosane uxor, quæso, est ? — Vah ! rogas ? —
> — Qui tandem ? — Tædet mentionis, quæ mihi
> Ubi domum adveni ac sedi, extemplo savium
> Dat jejuna anima. — Nil peccat de savio :
> Ut devomas volt quod foris potaveris.
>
> (*Plocium*, fragm. II; vide Otto Ribbeck, *Comicorum fragmenta, Cæcilius Statius.* — Gellius, *Noct. Attic.*, II, 23.)

« Illud Menandri de vita hominum media sumptum simplex et verum et delectabile », quod Gellius a Cæcilio frustra requirit, nusquam in Terentio desideras.

(2) *Ad.*, Prolog.

(3) *Essais*, II, 10.

(4) *Eun.*, V, 8.

ducis? » Pamphilus, ab uxoria re abhorrens, hoc unum verbum : « Aiunt (1). »

Nec minus breviter et concinne Clitipho, longius primum progressus, se subito recipit et matrimonium imminens repellit :

Pater, omnia faciam : impera.
CHREMES. — Uxorem ut ducas.
CL. — Pater (2) !

Intempestivius et copiosius et ad aures imperitorum aptius Plautus in *Trinummo* de re simili ludit :

CHARMIDES. — Si tu modo frugi esse vis,
Hæc tibi pactast Callicli filia.
LESBON. — Ego ducam, pater,
Etiam et si quam aliam jubebis.
CHARM. — Quamquam tibi suscensui,
Miseria una uni quidem hominist adfatim.
CAL. — Immo huic parumst :
Nam si pro peccatis centum ducat uxoris, parumst (3).

Ut jocis uberioribus, ita liberioribus Terentius abstinet, cujus in fabulis eminet quidam nativus sermonis pudor, nec incultorum et improborum hominum consuetudine unquam corruptus, nec adhuc annis accedentibus et vita, ut sæpe fit, imminutus (4). Quas res

(1) *Andr.*, II, 1.
(2) *Heaut.*, V, 5.
(3) *Trin.*, V, 2.
(4) Hoc rectius de Terentio dici potest, recepta hac lectione in Suetonii vita Ter. : « Post editas comœdias nondum quintum et *vicesimum* annum egressus pro *tricesimum*. (Vide Teuffel, *Geschichte der Rœm. Literatur*, 1875, p. 177.)

parum honestas Plautum juvat obscenis verbis amplificare, Terentius delibare solet, sive eas faceto tantum silentio, sive verbis salsa modestia adspersis significat.

> Ubi abiere intro, operuere ostium,

Menedemus ait, quum refert quomodo Bacchis sola cum solo Clitiphone in conclave recesserint, nec ejus sermo ultra vagatur (1). Chremes iratus et tumido ore filii vitia vituperans, suum sermonem subito interrumpit, ne præsente uxore verbum turpe dicat (2).

Verecundum dictum animadverte, quo turpissimum e corpore vulgato quæstum meretrix indicat :

> ... forma impulsi nostra nos amatores colunt :
> Hæc ubi imminutast, illi suom animum alio conferunt ;
> *Nisi si prospectum interea aliquid est*, desertæ vivimus (3).

Servus etiam cum meretrice loquens sine ulla licentia narrat qua castitate primam post nuptias noctem herus egerit (4). Quid mirum si verecundiam eamdem in sermone retinent adolescentes, atque etiam dum voluptati indulgent, pudicius loquuntur quam agunt. Chremetis in *Eunucho* ebrietas verborum protervorum ita parca est (5), ut Plautinos adolescentes vel sobrios hactenus lascivire velis. Clitiphoni, qui nimia profecto in vino audet, ne unum quidem verbum indecorum excidit ; imo plus, dum loquitur, æquo verecundus, patrem

(1) *Heaut.*, V, 1.
(2) *Heaut.*, V, 4.
(3) *Heaut.*, II, 4.
(4) *Hecyr.*, I, 2.
(5) *Eun.*, IV, 5.

exprobrantem quod licentius cum Bacchide, falso credita Cliniæ amica, egerit, ita interrogat : « Non accedam ad illos? » Cui salsissime pater : « Eho, quæso, una accedundi viast? »

Argumentum *Eunuchi* verecundiæ fines profecto transit, et ideo spectatoribus maxime placuit (1); Terentius tamen, quamvis suffragiorum captandorum viam certissimam invenisset, nullam aliam ejusdem generis fabulam edidit, atque etiam in hac, ut antea ostendimus, ex ancipitibus locis adeo scite sese expedivit, ut non mirari non possimus quam feliciter scopulos raserit nec allisus fuerit. Plautum finge *Eunuchum* a Menandro transferentem, ut ejus petulantia per campum apertum erupisset atque evagata fuisset! In Terentio autem nec Chærea, nec ipse Chæreæ servus ad impuros jocos delabuntur, et pudicum poetæ ingenium spurcitiam argumento insitam quasi vincit salvumque exsistit.

Nec tantum sermone sed indole et moribus Terentianas personas in universum complexus Plautinis meliores esse existimabis. Ut Plauti ingenium in vitiosis hominibus depingendis maxime versatur et quasi delectatur, ita Terentii ad meliorem humanæ naturæ partem effingendam est pronissimum. Quædam insita Terentii animo benignitas in omnes personas ab eo delineatas, ut ita dicam, redundat. Matronæ non tantum castæ sunt et liberorum amantissimæ, sed maritos

(1) « Et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita, et ageretur iterum pro nova, proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo millibus sestertium numerarent poetæ. » (*Donati præfatio in Eunuchum.*)

querulos et clamosos pæne omnes ad unam singulari patientia tolerant, et affectu simul ac veneratione circumdant. Ipsi mariti verbis non ita inficetis et asperis sæviunt, et eos, ore tenus minantes, sentis intus flecti et magis quam videri vellent mansuescere. Adde quod optimis moribus sunt : solus Chremes amores illicitos in *Phormione* fovet, sed quam bene celatos, quam procul a domo! Illarum enim, quibus se impedivit, uxorum, Athenas una colit, altera Lemnum. Ceteri omni culpa carent; peccaverunt olim, dum ætas et cælebs vita patiebantur; nunc autem, ut qui se matrimonio vere obstrinxerint, amatoria facinora tantum narrantes repetunt, et ubi plus paulo adbiberunt (1).

Servi quidem ironia faceta et eleganti suos heros deludunt, nedum, sicut in Plautinis fabulis, salibus amaris et procacibus insectentur, et aliquem modum vel in nequitia servant, ita ut apud Plautum ingenui viri famulorum mores et sermonem sæpissime referre videantur, apud Terentium famuli ingenuorum. Illam in *Andria* eximiam et toties memoratam vocem :

...istæc commemoratio
Quasi exprobratiost inmemori benefici,

quis emittit? nempe servus nuper manu missus (2).

Meretrices similiter aliæ vitia minora ostendunt, aliæ etiam sua vitia pensant virtutibus eximiis. Unam invenio in luxum, in epulas, in vitium proniorem, sed ea

(1) *Heaut.*, II, 1.
(2) *Andr.*, I, 1. Fere eadem sententia apud Ciceronem invenitur, non tam egregiis verbis expressa : « ..... perspecta fide, commemoratio officiorum supervacanea est. » (*Ad diversos*, III, 5.)

ipsa quantum a Plautinis Bacchidibus avaritia et protervitate superatur!

Parmeno servus, postquam Chæream eunuchi veste indutum in domum meretriciam duxit, sibi gratulatur quod repererit

quomodo adulescentulus
Meretricum ingenia et mores posset noscere,
Mature ut quom cognorit perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans :
Quæ cum amatore suo cum cenant, ligurriunt,
Harum videre inluviem, sordes, inopiam,
Quam inhonestæ solæ sint domi atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent,
Nosse omnia hæc salus est adulescentulis (1).

Male prorsus elegit Parmeno domum e qua virtus e turpium morum fastidio oriretur, nec Chærea apud Thaidem, nec nos usquam in Terentianis fabulis fœdissimas istas meretrices deprehendimus quas venustum poetæ ingenium semel et obiter attigit, nunquam autem oculis subjicere sustinuit. Lepore contra, mansuetudine et bonitate ornatas se pleræque præbent, atque etiam audire est unam ex illis hanc miram et vere unicam laudem sibi proponentem, ut maritum et uxorem distractos in pristinam concordiam reducat (2). Quæ quum ita sint, nescio an Bossuetius earum dolos et fallacias majores sibi esse finxerit quam revera sunt (3) nec affir-

(1) *Eun*, V, 4.
(2) *Hec.*, V, 1.
(3) « Quid memorem ut Delphinus in Terentio suaviter atque utiliter luserit, quantaque se hic rerum humanarum exempla præbuerint, intuenti fallaces voluptatum ac muliercularum illecebras, adolescentulorum impotentes et

mare ausim earum illecebras adolescentibus Terentium legentibus magnum timorem incutere. Ipsius denique lenonis malitia, ut parasitum multo urbaniorem factum prætermittam, videtur hebescere, et nimiis profecto criminibus Sannio in *Adelphis* se premit, quum ab Æchino verberatus et irrisus exclamat :

> Leno sum, pernicies communis, fateor, adulescentium,
> Perjurus, pestis.

Quibus enim verbis Plautinæ personæ, nempe Ballionis, speciem multo magis refert quam suam (1).

Haud minus adolescentes quam ceteræ personæ mansuetudinem ingenii Terentiani senserunt; optimos enim vel minimis vitiis corruptos ex exemplaribus græcis elegit, filios scilicet patrum suorum reverentissimos, aut si quam minus piam vocem emiserunt, statim corrigentes et extenuantes (2), amatores blandis voluptatibus haud illiberaliter indulgentes, aut bonas puellas fervido et mansuro amore circumdantes. Vividos juve-

cæcos impetus ; lubricam ætatem servorum ministeriis atque adulatione per devia præcipitatam, tum suis exagitatam erroribus atque amoribus cruciatam, nec nisi miraculo expeditam, vix tandem conquiescentem, ubi ad officium redierit. » (*De institutione Ludovici Delphini ad Innocentium XI.*)

(1) Non tanta profecto vehementia Cicero Roscio Terentianum lenonem agenti plausisset, quanta Plautinum, nec de Sannione eadem, quæ de Ballione, dixisset : « persona illa lutulenta, impura, invisa » (*Pro Roscio com.*, VII). Hunc locum, in quo Sannionem Æschinus conviciis et ictibus onerat, a Diphilo, ut supra diximus, Terentius ad verbum transtulit. Unde Ballio sumptus sit, incertum est, sed eum tanta acerbitate Plautus depingit, adeo crebris contumeliis obruit, ut minus aliena vestigia premere quam suo impetu rapi, et græcos quam romanos mores insectari videatur.

(2) Sic in *Adelphis* Ctesipho suo patri male precatur :

> *Quod cum salute ejus fiat*, ita se defetigarit velim,
> Ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere. (IV, 1.)

nilium animorum motus gaudet reddere, tum cæcam et suavissimam fiduciam, tum amarissimam desperationem, « suspiciones, inimicitias, indutias, bellum, pacem rursum » et post breves discordias « amoris integrationem » ; ætati florentissimæ, tantis bonis auctæ, tantis leporibus decoratæ, sponte favet et arridet, venuste lascivientem humane depingit, nunquam autem sinit in ullam turpitudinem delabi. Quum impuros et libidinosos adolescentes, ut ita dicam, respuat, ad illos Menandreos amatores imitandos maxime proclivis est, quos Plutarchus nulla fœda intemperantia inquinatos laudat, et nobis ostendit nunc a lenone dulces insidias struente caventes, et ab inductis formosis lautisque meretricibus timidos oculos avertentes (1), nunc iis tantum voluptatibus indulgentes quas reprehensi ac pœnitentes mox intercisuri sint, aut justis nuptiis licitas effecturi (2). Alios etiam illis adolescentibus meliores offerebat Terentio Menander, quem Euripidis, scriptoris in miseratione movenda præcipui, admiratorem et imitatorem fuisse Quintilianus refert, scilicet vere eximio et molli animo eminentes, ad amorem ipsa misericordia adductos, et puellis desertis et egentibus, hoc ipso quod eæ omni auxilio

(1) Τῶν παρὰ τῷ Μενάνδρῳ νεανίσκων ὑπὸ τοῦ πορνοβοσκοῦ παρὰ πότον πιβουλευομένων καλὰς καὶ πολυτελεῖς εἰσάγοντος ἑταίρας, Ἕκαστος, ὥς φησιν,

Κύψας ἐς αὑτὸν, τῶν τραγημάτων ἔφλα,

φυλαττόμενος καὶ φοβούμενος ἐμβλέπειν. (*De sanit.*, 20.)

(2) Οὔτε παιδὸς ἔρως ἄῤῥενός ἐστιν ἐν τοσούτοις δράμασιν· αἵ τε φθοραὶ τῶν παρθένων εἰς γάμον ἐπιεικῶς καταστρέφουσι· τὰ δὲ πρὸς ἑταίρας, ἂν μὲν ὦσιν ἰταμαὶ καὶ θρασεῖαι, διακόπτεται σωφρονισμοῖς τισιν ἢ μετανοίαις τῶν νέων· ταῖς δὲ χρησταῖς καὶ ἀντερώσαις ἢ πατήρ τις ἀνευρίσκεται γνήσιος, ἢ χρόνος τις ἐπιμετρεῖται τῷ ἔρωτι, συμπεριφορὰν αἰδοῦς ἔχων φιλάνθρωπον. (*Quæst., conv.*, VII, 8; coll. Didot.)

et ope egeant, se totos dedentes. Hos amatores, nempe Cliniam, Pamphilum, et si quem persimilem apud Apollodorum Carystium invenit, Terentius quasi suos agnovit et amplexus est, atque in suas fabulas, non ingenio tantum, sed etiam animo impulsus, transtulit (1).

(1) Adolescentes amatores a Menandro et ab Apollodoro descripti non nisi per latinas effigies nobis noti sunt. Quod quidem ad Menandrum attinet, in paucissimis versibus e tristissimo naufragio emersis unum amatorem narrantem audimus qua subita et magna voluptate percitus fuerit, ubi primum mulierem amatam tetigerit et osculatus fuerit :

Μὰ τὴν 'Αθηνᾶν, ἄνδρες, εἰκόν' οὐκ ἔχω
εὑρεῖν ὁμοίαν τῷ γεγονότι πράγματι,
ζητῶν πρὸς ἐμαυτὸν τί ταχέως ἀπολλύει.
Στρόβιλος; ἐν ὅσῳ συστρέφεται, προσέρχεται,
προσέβαλεν, ἐξέρριψεν, αἰὼν γίνεται.
'Αλλ' ἐν πελάγει συγλυσμός; ἀναπνοὴν ἔχει
« Ζεῦ σῶτερ », εἰπεῖν, « ἀντέχου τῶν σχοινίων »,
ἑτέραν περιμεῖναι χἀτέραν τρικυμίαν·
ναυαγίου δ' ἂν ἐπιλάβοι'· ἐγὼ δ' ἅπαξ
ἁψάμενός εἰμι καὶ φιλήσας ἐν βυθῷ.

(Meineke, *Menandri incertarum fabularum Fragmenta*, VII.)

Hic ex incerta fabula et sine nomine amator, tam avide subitum amorem haurit, et tanta cum jucunditate suos sensus effert, ut fere credas ad ejus exemplar Terentium in *Eunucho* Chæream effinxisse.

Alius est a Menandro inventus adolescens, cujus, quamvis nullum verbum exstet, amores tamen, Donati gratia, non toti periere. Quem utinam Luscius Lavinius intactum reliquisset, et Terentius suum facere potuisset! Nullus enim dignior erat qui Terentii venustum ingenium invitaret, ita eximios lepores præ se fert, ita vividos simul et suaviter reconditos amores fovet! Hæc est brevior mentio, quam Menandreæ fabulæ Donatus facit : « *Phasma* nomen est fabulæ Menandri, in qua noverca superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam quum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo secum habebat assidue, nullo conscio. Parietem, qui medius inter domum matris ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Quumque transitum intenderet sertis ac fronde felici, rem divinam sæpe faciens evocabat ad se virginem. Quod quum animadvertisset adolescens, primum adspectu pulchræ virginis velut numinis visu perculsus exhorruit; unde *Phasma* est nomen fabulæ. Deinde paulatim re cognita

Quo natura inclinet, ipse non solum græcas personas effingens, sed et novas inveniens demonstrat. Duos enim adolescentes non a Græcis sumpsit, sed excogitavit et addidit (1); qui quidem, quamvis revera

exarsit in amorem puellæ, ita ut remedium tantæ cupidatis nisi ex nuptiis non reperiretur. Ita ex commodo matris et virginis et ex voto amatoris consensuque patris nuptiarum celebratione finem accipit fabula.

(*Eunuchus. Prol.*, 9.)

(1) « Has personas (Charinum et Byrriam) Terentius addidit fabulæ; nam non sunt apud Menandrum. » (Donatus, *Andria*, II, 1.) Hoc clarum testimonium Ihne (*Quæstiones Terentianæ*, Bonnæ, 1843) invalidis argumentis mihi videtur impugnavisse, nec manifesto ostendisse supra dictas personas de *Perinthia* Menandrea sumptas esse. Miretur Ihne tantam Terentii audaciam non a Luscio Lavinio increpitam fuisse, inanemque rationem a Donato allatam irrideat, propter quam Terentius Charinum addiderit, scilicet ne τραγικώτερον fieret Philumenam spretam relinquere sine sponso, Pamphilo aliam ducente; nihil equidem pugno; attamen nec in hac re Luscii silentium aut patientia, nec Donati inepta argumentatio hoc irritum faciunt, nempe Charinum Donato Menandrum volventi non occurrisse. Ihne quidem conjicit non Donatum illud annotasse, sed stultum aliquem grammaticum : quid hoc ad rem, de qua ambigitur, modo istum grammaticum non ita stolidum esse contendas, ut dispicere nequeat utrum Charinus in Menandro sit, annon? At enim iste grammaticus non suis oculis, quod asseverat, vidit, veterem autem commentarium secutus est, cujus ne ipse quidem auctor ambo exemplaria græca, e quibus Terentius contexuit *Andriam*, tractavit, sed principale tantum attigit, ita ut « verba *nam non sunt apud Menandrum* nihil aliud possint significare nisi non in Andria Menandri fuisse Charinum et Byrriam ». Quid vero? Num potuit non *Perinthiam* simul ac *Andriam* inspicere qui hæc scripsit (ut aliam adnotationem omittam ad Andr. prol. 13, quam Ihne immerito fastidio respuit) : *Prima scena Perinthiæ pœne iisdem verbis, quibus Andria, scripta est ; cetera dissimilia sunt, exceptis duobus locis, altero ad versus XI, altero ad XX, qui in utraque fabula positi sunt?* Ihne hic in lubrico se versari sentit, nec alia nisi obscura et implicata respondet, scilicet non unum exemplum adversus sua dicta valere, nec grammaticum, si *Perinthiam* quoque in manibus habuisset, occasione hujus fabulæ cum *Andria* comparandæ sæpius oblata, ea semel usum fuisse. Nonne aptius et probabilius diceretur ne semel quidem *Perinthiam* et *Andriam* ab eo comparari potuisse, qui non ambas fabulas in manibus habuisset? Nec firmioribus argumentis opinionem suam Ihne adjuvare mihi videtur, sive duos ex *Andria* Terentiana versus, versibus Euripideis similes, *Perinthiæ* Menandreæ hoc tantum attribuit quod Menander Euripidis assiduus sit imitator, sive e paucis parvi momenti verbis a Terentio e *Perinthia* ductis (II, 2, 31-32) concludit « etiam Charini partes, quæ sunt in eadem scena, ex eadem fabula græca esse transpositas ».

minimas partes obtineant, Terentiana tamen nota signati nobis occurrunt. Alterum in *Phormione* Getæ narratio ostendit usque ad lacrymas commotum et nuper visæ pauperrimæ virginis miserias verbis adeo vividis describentem, ut sodalium suorum animis magnam miserationem injiciat (1). Alter, in *Andria*, nomine Charinus, vere candidi et casti animi, Philumenam, ingenuam et venustam puellam, honestissimo amore amplectitur, eamdem scilicet quam Pamphilus, ab Antiphila captus, sibi obtrudi queritur. Ita pudicas aures Charinus habet, ut pæne dolens miretur quid a se roget Pamphilus viam omnem quærens qua matrimonium odiosum a se repellere possit :

PAMPHILUS. — Ehodum dic mihi :
Numquid nam amplius tibi cum illa fuit, Charine?
CH. — Ah ! Pamphile,
Nil.

Neque etiam quum veros Pamphili sensus ignoraret, et vereretur ne hic Philumenam duceret, Byrriam servum sustinuerat consilium dantem quod amatores irati non ita vehementer respuere solent :

CHARINUS. — Byrria,
Quid tibi videtur? adeon ad eum?
BYRRIA. — Quid ni? si nil inpetres,
Ut te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit.
CH. — Abin hinc in malam rem cum suspitione istac, scelus (2)?

(1) *Phorm.*, I, 2. « Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit, qui dicat se nuper puellæ comam ob luctum abstulisse. » (Donatus.)
(2) *Andria*, II, 1.

Charinum quidem velis minus dolere, minus auxilio alieno egere, et fortius suos amores tueri, nec dubium est quin Terentius imbecilliorem ejus indolem castiget, sed ea lenitate castigationem temperat, ut verecundiam saltem huic adolescenti insitam ab omni irrisione excipiat.

Modo suspicabamur Plautum a Græcis sæpius recessisse, quum effingeret et asperis facetiis notaret amatores pessimis vitiis deformatos; nunc deprehendimus Terentium, si forte ab exemplaribus fideliter observatis paululum aberrat, humanissimos et verecundissimos adolescentes adumbrantem. Ambo igitur, etiam quum vitam imitantur, suorum ingeniorum dissimilitudinem arguunt; nec enim ita magno temporis intervallo scribunt, ut mores omnino dispares ante oculos habeant (1) : alter autem, natura mordacior, pejorem juventutis partem, alter mansuetior meliorem potissimum inspicit et depingit.

(1) Duodeviginti annis post mortem Plauti, Terentius suam primam fabulam, nempe *Andriam*, dedit (588 ab U. c.)

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

A. D. X. Kalend. Aug., ann. MDCCCLXXVIII,

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

PARIS. — IMPRIMERIE E. MARTINET, RUE MIGNON, 2.

DE PLAUTINIS ET TERENTIANIS ADOLESCENTIBUS AMATORIBUS

ERRATA

P. 9, l. 13, pro *quærit*, lege : *gerit*.

P. 11, l. 19, pro *inassueta*, lege : *insueta*.

P. 13, l. 23, pro *Leonidam ipsum attonitum faciat*, lege : *Leonidæ ipsi vix fidem faciat*.

P. 21, l. 20, pro *permadefactam*, lege : *permadefactum*.

P. 24, l. 12, pro *attonitam*, lege : *mirabundam*.

P. 27, in nota, pro *VC*, lege : *Pareus*.

P. 32, l. 15, pro *aureos imbres*, lege : *aureum imbrem*.

P. 33, l. 7, pro *fortuna* lege : *forma*.

P. 40, l. 21, pro *amori*, lege : *pudori*.

P. 41, l. 6, pro *melius*, lege : *facilius*.

P. 49, l. 15, pro *Pleusidippi*, lege : *Plesidippi*.

P. 52, l. 10, pro *exclamando*, lege : *exclamans*.

P. 67, l. 4, pro *nempe Epidicus*, lege : *nempe Curculio, Epidicus*.

P. 67, in nota, l. 2, pro *duas a Diphilo : Asinariam et Rudentem*, lege : *a Demophilo Asinariam, et a Diphilo Rudentem*.

P. 74, l. 24, pro *illos*, lege : *hos*.

P. 75, l. 18, pro *scribendo*, lege : *in scribendo*.